MASTER NEGATIVE
NO. 93-81451-9

AUTHOR:

MELLEN, GUSTAV

TITLE:

DE IUS FABULA
CAPITA SELECTA

PLACE:

UPSALIAE

DATE:

1901

Master Negative #

93-81451-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
DKS/SAVE  Books      FUL/BIB   NYCG92-B39823          Acquisitions     NYCG-PT
FIN ID NYBY10190532-B - Record 1 of 1 - SAVE record
+
  ID:NYCG92-B39823           RTYP:a    ST:s    FRN:    MS:   EL:u     AD:07-21-92
  CC:9665   BLT:am     DCF:     CSC:d    MOD:     SNR:        ATC:        UD:07-21-92
  CP:sw      L:lat     INT:     GPC:     BIO:     FIC:0       CON:
  PC:s       PD:1901/           REP:     CPI:0    FSI:0       ILC:        II:0
  MMD:       OR:     POL:     DM:     RR:         COL:        EML:       GEN:   BSE:
  040       NNC=|cNNC
  100 1     Mell_en, Gustaf,=|d1867-
  245 10    De Ius fabula capita selecta=|h[microform].=|cCommentatio academica sc
ri
        psit Gustavus Mell_en.
  260       Upsaliae,=|bAlmqvist & Wiksell,=|c1901.
  300       3 p. l., 90 p.=|c22 cm.
  650  0    Io (Greek mythology)
  LDG       RLIN
  QD        07-21-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35MM   REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 6/2/93   INITIALS BE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

no. 9

DE IUS FABULA
CAPITA SELECTA

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE UPSALIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS MELLÉN

IN AUDITORIO IV DIE IX M. OCT. A. MCMI

H. A. M. S.

UPSALIÆ MCMI

TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST ET WIKSELL

PATRI OPTIMO CARISSIMO

SACRUM

Iam cum opusculum meum e manibus emitto, præceptoribus meis summo opere mihi reverendis, qui inde a principio me docuerunt atque insigni, qua semper me foverunt, benevolentia sibi in perpetuum devinxerunt, iustas ac debitas refero gratias seras quidem, minime tamen refrigeratas. In primis vero Carolo Robert, magistro mihi veneratissimo Halensi, quo auctore hanc dissertationem conscribendam suscepi quique singulari liberalitate ac propensa voluntate studia mea adiuvit et auxit, quantum debeam et hoc loco profiteri pii gratique animi officium est. Cuius nomen cum libello non inscripsi, id cavi, ne munus quod offerrem præclaro nomine non satis dignum videretur. Quod huius viri disciplina et consuetudine frui mihi licuit, inter summa quæ mihi contigerunt beneficia ut numerare nunquam desinam memoriamque illius temporis pio semper gratoque animo colam, ita nunc opusculum qualecumque iudicio eius subiiciens nihil equidem impensius opto cupioque, quam ut ei probetur.

Ius fabulā quo modo ab antiquissimis scriptoribus enarrata sit, si quis exquirere aggreditur, a certis ut proficiscatur, ab Hesiodeis carminibus ei exordiendum esse, quis est quin sciat. Certe non defuerunt, qui vel Homero, quippe qui Mercurium tantum non semper epitheto illo Ἀργειφόντης exornet, fabulam notam fuisse contenderent. Utut autem hoc epitheton, de quo etiam hodie magna manet inter doctos viros dissensio, accipere volumus — num umquam satis explicari possit, pro dubio habeo — tamen iam ex ea re, quod ne verbo quidem ullo loco aut fabulæ aut ipsius nominis Ius mentionem facit, Homerum fabulam nondum cognitam habuisse, non sine iure sumere posse nobis videmur [1].

Catalogorum autem atque Aegimii Hesiodei, sive id carmen ipsi Hesiodo sive Cercopi Milesio assignare volumus, usque ad nostra tempora servata sunt fragmenta, quæ ad summam narrationis adumbrandam abunde sufficere videntur. Licet igitur Aeschylum, summum illum tragicum, Ius historiam bis et in Supplicibus et in Prometheo vincto copiose exhibentem, vel

[1] Ita iam Aristarchus ad B 103 . . . τὸν δὲ Ἰοῦς ἔρωτα οὐκ οἶδεν ὁ ποιητής, πέπλασται δὲ τοῖς νεωτέροις τὰ περὶ Ἄργον. Aristarcho assensus est Edu. Meyer Forsch. I p. 71. De ipso autem epitheto num recte iudicaverit, in medio relinquendum mihi videtur.

meliorem uberioremque ad ipsa primordia mythi cognoscenda fontem adhibere concedamus, tamen ut connexum epicam inter et tragicam narrationem iam a principio melius perspiciamus, temporis etiam ordinem secuti primo loco de carminibus epicis Hesiodeis agemus.

Iam primum igitur quid de Io narraverit Aegimii poeta quærentibus, duo[1] modo certa nobis occurrunt fragmenta, quorum alterum — Fr. 5 K. — scholiasta ad Eurip. Phoen. v. 1116, Stephanus Byzantius s. v. Ἀβαντίς alterum — Fr. 3 K. — memoriæ nostræ prodidit. Scholiasta enim Eurip. de clipeo illo Panoptæ figura insignito, quo ad Thebas dimicans Hippomedon Argivum se probare cupiebat, verba faciens etiam hæc affert: ὁ δὲ τὸν Αἰγίμιον ποιήσας φησί·

'καί οἱ ἐπίσκοπον Ἄργον ἵει κρατερόν τε μέγαν τε,
τέτρασιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενον ἔνθα καὶ ἔνθα,
ἀκάματον δέ οἱ ὦρσε θεὰ μένος, οὐδέ οἱ ὕπνος
πῖπτεν ἐπὶ βλεφάροις, φυλακὴν δ'ἔχεν ἔμπεδον αἰεί'.

Quod fragmentum si cum narratione posterioribus trita componimus, apertum est iam Aegimii auctorem vulgatam fabulæ formam tradidisse, Io scilicet in vaccam mutatam atque Argum, monstrum quoddam oculis numquam somno compositis instructum, vaccæ assiduum custodem a Iunone appositum esse. Ut plura atque accuratiora autem de Aegimiea fabula enucleemus, etiam

[1] Fr. 6 K. dubium esse rectissime monuit Kirchhoffius Odyss.[2] p. 329. Fr. 4 K., quod fragmentorum collectores, Carolo Sittl in ed. Zogr. Hesiod. uno excepto, Aegimio tribuerunt, Catalogis inserendum esse, idem Kirchhoffius demonstravit. Quod idem post eum aliis argumentis evicit Ernestus Maass, De Aesch. Suppl. Commentatio p. XXVI. Cfr infra p. 16.

alterum fragmentum, quod Stephano debemus, inspiciamus.

Ἀβαντίς· ἡ Εὔβοια, ὡς Ἡσίοδος ἐν Αἰγιμίου δευτέρῳ περὶ Ἰοῦς
'νήσῳ ἐν Ἀβαντίδι δίῃ·
τὴν πρὶν Ἀβαντίδα κίκλησκον θεοὶ αἰὲν ἐόντες,
Εὔβοιαν δὲ βοὸς τότ' ἐπώνυμον ὠνόμασεν Ζεύς'.[1]

Hi versus, qui nobis, ut Lobeckii verbis Aglaoph. p. 1131 utar, "insulam prius Abantidem dictam mutata in vaccam Io nomen Euboeæ accepisse" diserte dicunt, etiam indicare videntur Io vaccam peculiari quadam ratione cum Euboea coniunctam fuisse. Quod ni ita esset, quo ore quisquam dicere aut credere potuerit, insulam ab ea nomen sumpsisse, prorsus non assequor. Atque re vera rem ita se habere iamdudum evicit Lobeckius l. l.[2], qui ad hoc Aegimii fragmentum explicandum testem adhibuit Strabonem, qui de Euboeæ insulæ nomine hoc modo disputat X p. 445:

οἱ δ'ἀπὸ ἥρωός φασι — insulam sc. Abantidem appellatam esse — καθάπερ καὶ Εὔβοιαν ἀπὸ ἡρωίνης. τάχα δ'ὥσπερ βοὸς αὐλὴ λέγεταί τι ἄντρον ἐν τῇ πρὸς Αἰγαῖον τετραμμένῃ παραλίᾳ, ὅπου τὴν Ἰώ φασι τεκεῖν Ἔπαφον, καὶ ἡ νῆσος ἀπὸ τῆς αὐτῆς αἰτίας ἔσχε τοῦτο τοὔνομα. Cfr Eust. ad Hom. B 536.

[1] Versum dedi secundum Hermannum, quem Rzach secutus est.

[2] Legentes admonitos volo hanc de Aegimio quæstionem ante me egregie explanasse et Lobeckium Aglaoph. p. 1131 sqq. et eius vestigia prementem Ernestum Maass l. l. p. XXI sqq. Quibus diligenter inspectis, cum meliora ipse invenire posse mihi non visus sim, quæ digna putabam in meum usum convertens nonnulla tantum, quæ ipse observavi, addidi.

Geographus igitur vel potius Apollodorus docet sicut antrum quoddam insulæ Βοὸς αὐλή, ita totam insulam Euboeam vocatam esse, quod Io vaccæ specie ibi Epaphum filium enixa esset. Quæ eadem igitur etiam apud Aegimium in versibus, qui servatis præcesserunt, exposita fuisse, ut statuamus, necesse est.

Iam vero conferas velim, quæ apud eundem Stephanum, qui Aegimii frustulum nobis prodidit, s. v. Ἄργουρα leguntur. Hæc sunt: ἔστι καὶ τόπος τῆς Εὐβοίας Ἄργουρα, ὅπου δοκεῖ τὸν Πανόπτην Ἑρμῆς πεφονευκέναι. Etiam hoc Aegimio vindicandum esse videtur, præsertim cum nusquam alibi ne levissimum quidem exstet vestigium narrationis, quæ Ius historiam tam artis cum Euboea insula connectat vinculis, ut et Epaphum natum et Argum obtruncatum eo relegare potuerit. Quid vero? Ad Euboeam etiam spectare videntur, quæ Aegimiea in fabula de origine Argi custodis allata sunt. Apollodori enim bibliotheca, quæ Cercopem Aegimii auctorem laudat, varias Argi genealogias referens hæc affert II: 6 W.: Κέρκωψ δὲ Ἄργου καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσωποῦ θυγατρός — sc. Ἄργον τὸν πανόπτην λέγει — quæ verba ad Boeotiam Euboeamque spectare iam Welckerus observavit Episch. Cycl. I^2 p. 247 [1].

Quæ de fabula nostra fragmentorum examinatione hucusque didicimus, si iam consideramus, inter hanc Aegimieam narrationem atque eam, quæ inde ab Aeschyli memoria vulgaris fit, si ipsum argumentum spec-

[1] De commercio, quod inter Euboeam et Boeotiam antiquitus fuerit, confer Edu. Meyer Gesch. d. A. II § 124 et de rebus divinis præcipue Gruppe Griech. Myth. p. 58 sqq.

tas, optimam intercedere consensionem vides. Ceteris autem rebus manifesta et gravi discrepantia distinentur narrationes. Cum enim secundum Aegimii auctorem Euboeæ in ipsa insula et bubulcus Argus interemptus et Epaphus Ius filius in lucem editus sit, necessario consequitur, ut longinquos et diuturnos errores, quibus posteriorum secundum memoriam Argi custodia liberata usque ad Aegyptum pervenit Io, nondum cognitos habuerit Aegimii poeta. Etenim errores illos statim post Argi necem subsequentes Epaphumque natum antecedentes ad unam omnes faciunt narrationes. Neque enim erat causa, cur post filium natum ultro pellicem vexaret Iuno.

Minime igitur mihi probantur, quæ de Aegimiea fabula disputavit Eduardus Meyer Forsch. I p. 68 adn. 3 [1], 80 adn. 1. Censet enim, ni fallor, Ionem eadem ratione atque vulgaris fert fabula ab Argis profugisse atque antequam in Aegyptum perveniret per terras vagantem Euboeam sicut multa alia loca adiisse. Cui sententiæ ne suffragemur obstat Strabonis de Epapho in insula nato testimonium, quod supra attulimus. Nihil enim protulit vir doctissimus propter quod fidem geographo disertis verbis hoc affirmanti derogemus. Accedit quod, si recte hoc contendisset, certe Aeschylus quidem, quippe qui et in Supplicibus et in Prometheo vincto verum etymologiarum sectatorem se præstiterit, Euboeam silentio non pressisset. Quamvis autem omnia fere loca, quorum nomina veri-

[1] "Io's Irrfahrt nach Euboea". Cfr Crusius in Lex Myth. Roscheri I p. 2817,

loquii copiam dare possent, vaccam erroribus adeuntem induxerit, ne verbo quidem Euboeam commemorat. Quæ alia ratione probabiliter expediri posse mihi non videntur, nisi ut certo de consilio insulam respuerit. Quod consilium mox patescet.

Euboeæ in ipsa insula Io non solum ab Argo custoditam sed etiam in vaccam mutatam esse, pro explorato habemus. Hoc, quod iam ex frustulis poematis consectarium vidimus, et alio satis probo confirmatur testimonio. Legimus enim in Et. Magn. s. v. Εὔβοια insulam Euboeæ nomen vel ob eam rem accepisse, ὅτι τῇ Ἴσιδι — immo Ἰοῖ — εἰς βοῦν μεταβληθείσῃ ἐκεῖσε βοτάνας ἡ γῆ ἀνεβλάστησεν, ἢ ὅτι ἐν αὐτῇ βοῦς γενομένη καλλίστη διέτριψεν. Quod si Euboeæ non solum in vaccam transformata est virgo, sed etiam Epaphus filius natus est, necessario concluditur vaccæ custodiam ibi et ad finem perductam et inceptam esse. Quæ omnia si recte dispeximus, perspicuum videtur Ionem in Aegimiea fabula nondum nec cum Aegypto nec cum Argis quicquam habuisse. Immo vero omnes fabulæ partes, ut ita dicam, Euboeæ transactæ sunt. Cogitari quidem potest vaccam custode Euboeæ interempto terras peragrasse atque unde egressa esset revertisse, quod tamen perquam improbabile videtur.

Quæ de Argi custodis origine tradiderit Aegimius ad Boeotiam spectare, iam supra vidimus. Accedit aliud haud minoris momenti testimonium. Inter præclara facinora, quæ Argum obeuntem fingunt auctores, etiam hæc commemorantur apud Apollod. II: 4 W.:

λέγεται δὲ ὅτι καὶ τὴν Ταρτάρου καὶ Γῆς Ἔχιδναν, ἣ τοὺς παριόντας συνήρπαζεν, ἐπιτηρήσας κοιμωμένην ἀπέκτεινεν.

Videamus ergo unde Echidna domo sit? Scriptorum antiquissimorum Hesiodus unus eam nuncupat Theog. 295 sqq. Artis autem monumentum antiquissimum ad nostrum tempus servatum, quod ad hoc monstrum pertinet, quantum compertum habeo, ectypum illud est poro exsculptum, quo fastigium ædificii nescimus cuius in arce Athenarum adornatum fuit, quod Herculem cum Echidna depugnantem exhibet. Quæ ectypa poro exsculpta, quorum pleraque Herculis labores repræsentant, si iam cum vasis, quæ Chalcidica origine vulgo habentur, recte composuerunt Purgold Ἐφημ. ἀρχ. 1885 p. 233, cfr ibidem 1884 πιν. 7, et P. I. Meier Athen. Mitthl. 1885 p. 326 sq., haud absonum videtur divinare Hesiodum consuetudine sua Echidnam ex domestica fabula recepisse primumque divulgasse atque Echidnam Boeotica vel Chalcidica origine esse [1].

Ne quis autem mihi obvertat ne hoc quidem concesso Euboicam et Boeoticam originem Argi demonstratam esse, præsertim cum aliæ laudes eius ad Arcadiam spectent [2]. Nam heroem inde ortum esse, ubi plurimas res suas gesserit, prorsus non liquet. Quod ut probem, unius Herculis exemplum afferre sufficit. Alia exempla

[1] Studniczkam Jahrb. I p. 87 sqq. docte et sagaciter de his rebus disputantem non solum ipsis ectypis sed etiam vasculo illi domesticam Atticam originem vindicare studuisse, me nullo modo effugit. Cuius de ectypis opinioni cum omnia favere videantur, tamen quonam iure atque eventu Meieri sententiam labefactare conatus sit, vix diiudicare ausim.

[2] Edu. Meyer Forsch. I p. 72 sq.

quærenti non deerunt. Præterea quartum quod profert bibliotheca Argi facinus ad Argos pertinere dubitari non potest. Quam ob rem, quoniam et genealogia eodem spectat, Aegimio quidem Euboicum vel Boeoticum Argum vindicare velim.

Inde, nisi omnia me fallunt, etiam Ius stemma repeti potest. Nam Melia, quam vulgo Ius matrem perhibent, nonne ad Boeotiam pertinet, ubi matrem vel fontem Ismeni fluminis eam commemorat Pausanias 9: 10: 5. Quemnam autem patrem Ius nuncupaverit Aegimii poeta, traditum non est, neque ad eum recuperandum certa suppetunt subsidia. De Inacho cogitari non posse facile intelligitur, nisi forte iis subscribere volumus, quæ divinavit Maassius l. l. p. XXII, Argivam scilicet virginem a Iove ipso in Euboeam abreptam esse ad exemplar alius Euboensium fabulæ sacræ, "quæ de Iunone est apud Plutarchum in Dædalorum Platæensium descriptione fr. 3 — p. 44 Bernard. — qui Iunonem virginem a Iove furto sublatam in antro quodam prope Platæas Cithærone montano deo opem ferente occultatam fuisse nutrice Macride frustra circumspiciente narravit."

Quæ non minus argute quam vere observata esse, doctissimo viro fortasse dabit quicumque sibi persuaserit Ionem a principio nihil nisi hypostasin, quæ dicitur, Iunonis esse, neque ego negaverim; quominus contendam, sunt tamen quæ obstent. Quoniam enim Aegimieam fabulam ab Argis plane segregatam fuisse persuasum habeo, genealogiam, quæ eo revocanda non est, ceteris anteposuerim, et haud scio an Piren, quod

fluminis cuiusdam nomen vulgo habetur[1], cum neque Argolidis ullo loco inveniatur fons vel flumen eiusdem consimilisve nominis proximeque cum fonte illo Corinthiaco connexum sit vocabulum, Boeotiæ vindicari possit. Quam coniecturam nihil est, quod impediat, multa quæ commendent. Huc refero, quod inter sorores Ismeni fluminis etiam Pirene annumeratur apud Diodorum IV: 72. Eodem quamvis dubitanter revocare velim, quod apud Pausaniam VIII: 18: 2 pater Echidnæ Πείρας nominatur[2], quod verbum nihil nisi alteram eiusdem nominis formam esse docuit Ernestus Maass l. l. p. XXXI. Accedit denique, quod suspicari quidem licet et hoc loco Apollodorum diserte nos admoniturum fuisse, si inter se discrepuissent Cercops et Hesiodus. Sed facillime concedo hæc omnia ad opinioni meæ fidem

[1] Plew in Annal. Fleckeis. 1870 p. .666. Preller Griech. Myth. II p. 27 adn. Recentissime J. Lieblein Om Io-Mythen. Christiania 1897 Univ. prg. for 1 semester 1897 p. 7 sqq. Πειρήν cum verbo Aegyptiaco "peur", quod nomen profanum Nili fluminis sit, composuit Ionemque Nili filiam esse demonstrare conatus est. Quin etiam Ius nomen Aegyptica origine esse bovemque significare contendit. Quare Græcos non solum ipsa nomina sed etiam totam fabulam ab Aegyptiis mutuasse tantum non demonstrasse sibi videtur, præsertim cum gratissima eius opinionis adminicula sese offerant, quod Epaphus Apis sacer bos Aegyptiorum est quodque ipsa fabula ultimum Ius domicilium in Aegypto collocat. Quæ sententia licet fortasse cui arrideat, tamen ut eam amplectar nullo pacto a me impetrare possum. Licet enim argumenta, quæ e vocabulis Aegyptiacis sumpsit, vera sint, quod diiudicare meæ facultatis non est, tamen tota argumentatio eius rei ordinem plane invertisse mihi videtur. Atque aliam præsto esse explicandi viam hanc ipsam commentationem comprobaturam esse spero.

[2] Matrem Echidnæ Στύγα exhibet Epimenides apud Pausaniam. Στύγα locum quendam ignobilem Euboeæ affert Nonnus 13: 163.

struendam nullo modo sufficere, quare, donec meliora allata sunt testimonia, in medio relinquenda est quæstio.

Præeunte Lobeckio ad Euboeam spectare iudices censuerunt etiam quæ de Curetibus Epaphum tollentibus exponuntur apud Apollodorum II: 9 W.: τοῦτον δὲ — scilicet Ἔπαφον παῖδα — Ἥρα δεῖται Κουρήτων ἀφανῆ ποιῆσαι· οἱ δὲ ἠφάνισαν αὐτόν. καὶ Ζεὺς μὲν αἰσθόμενος κτείνει Κούρητας, Ἰὼ δὲ ἐπὶ ζήτησιν τοῦ παιδὸς ἐτράπετο.

Nam "Euboicos", inquit Lobeckius Aplaoph. p. 1131, "hoc loco significari Curetes Iunonis nomen indicat insidiarum molitricis, quæ in eadem insula adolevisse dicitur, ubi Epaphum natum, Argum occisum esse constat" [1]. Atque Euboica Curetum origo re vera tanta documentorum copia comprobatur [2], ut in dubium revocari non possit, quin recte viderit sagacissimus ille vir. Neque tamen Apollodorum genuinam Euboicam fabulam dedisse, nemo non videt. Perspicuum enim est, innovatam esse narrationem ad similitudinem fabulæ, quæ est de Iside corpus Osiridis investigante, unde consequitur ante, quam in Aegyptum traducta Isidi assimulata est Græca Io, eam exoriri non potuisse [3].

Unde vero primigeniam recuperemus narrationem, si quæ alia invenire possimus circumspectantibus, unicum nobis occurrit testimonium, quod exstat apud Hyginum Fab. CL: *Postquam Iuno vidit Epapho ex*

[1] Cfr Maass l. l. p. XXIV. Immisch in Lex. Myth. Roscheri II pp. 1593, 1605.

[2] Strabo X pp. 465, 472. Steph. Byz. s. v. Αἴδηψος. Quin etiam Κουρῆτις appellatur Euboea apud schol. Eurip. Orest. v. 953.

[3] Heyne ad Apollod. l. l. Edu. Meyer Forsch. I p. 80 adn. 3.

pellice nato tantam regni potestatem esse, curat in venatu, ut Epaphus necaretur, Titanesque hortatur, Iovem ut regno pellant.

Hæc quidem ita comparata sunt, ut Hyginum idoneum testem adhibere noluisse videantur, qui ante me de hac re egerunt. Vulgo credo Lobeckio l. l. p. 1133 adstipulantes Hygini historiunculam ad exemplar fabulæ, quæ de Baccho Zagreo est, compositam inde fluxisse censent, quod seram singularemque secundum traditionem Io vel potius Isis Epaphi eiusdem Bacchi genetrix fertur [1]. Quod autem in venatu Epaphum interfectum memorat mythographus, ex Adonidis fabula mutuatus esse videtur. Neque minus eiusdem fabulæ memoriam revocant, quæ de Bybliorum regis uxore Epaphi nutrice in bibliotheca narrantur [2]. Licet igitur hæc non habeant, cur antiquioris memoriæ fidem sibi vindicent, tamen quoniam ceteris disparibus in eo ipso, in quo tamquam cardine vertuntur omnia, nempe Iunonem "novercali odio" Epaphum persecutam esse, utrumque consentit testimonium, facere non possum, quin hoc quidem ad primariam Euboicam fabulam redire coniiciam. Non habeo quidem nec certi nec novi quicquam, quod afferam, quo confusam Hygini memoriam digerere posse confidam, sed hæc mihi reputes velim.

Bibliothecæ narrationem vix exstitisse ante, quam Io cum Aegyptiorum Iside comparata sit, supra posu-

[1] Preller-Robert Griech. Myth. p. 706 adn. 1. M. Mayer Giganten und Titanen 150.

[2] Gruppe Griech. Myth. p. 62.

imus infraque fusius demonstrabimus. Epaphum igitur e medio sublatum auctorem nescio quem finxisse, ut Io Epaphum velut Isis Osirin quæreret, dubium esse non potest. Hyginus autem Epaphum iam adultum in venatu occisum narrat, unde dilucide apparet ad eundem fontem redire non posse testimonia. Cum iam Curetes, quos ministros adhibentem Iunonem facit bibliothecæ auctor, Euboeæ vindicandi sint, coniecturæ mihi indulgere liceat, qua ducor ad suspicandum genuinam Euboicam narrationem Curetes Epaphum interficientes finxisse. Sed nihil affirmo.

Utcumque autem hæc se habent, liquido apparet antiquitus in Aegimio traditam fuisse *Euboicam* Ius fabulam, quam meram genuinamque Græcam dicere velim. Quæ fabula ut ad Aegyptum traduceretur, quo modo factum sit, infra, quæstio cum processerit, accuratius exponemus. Nunc autem ipsum argumentum domiciliumque obliteratæ fabulæ recuperasse lineamentaque eius descripsisse satis habentes ad Catalogos Hesiodeos transimus, quorum narrationem percensentes singula quoque ad Aegimieam fabulam pertinentia deprehendere confidimus.

Catalogorum unum tantum exstat fragmentum, quod ad Hesiodeam Ius fabulæ formam constituendam certum et firmum nobis affert adiumentum, fragmentum dico, quod iam supra monuimus ante Kirchhoffii egregiam disputationem plerosque editores non satis recte Aegimio assignasse. Ad Hesiodum pertinere frustulum

ipse diserte indicat Platonis scholiasta ad Sympos. 183 B, qui fragmentulum nobis servavit his verbis:

ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος, ἐπὶ τῶν δι' ἔρωτα ὀμνυόντων πολλάκις καὶ ἐπιορκούντων. μέμνηται δὲ ταύτης καὶ **Ἡσίοδος** λέγων·

ἐκ τοῦ δ'ὅρκον ἔθηκεν ἀπήμονα[1] ἀνθρώποισι
νοσφιδίων ἔργων πέρι Κύπριδος.

Quæ Hesiodi verba ad Ius fabulam referenda esse, docet Hesychius s. v. ἀφροδίσιος ὅρκος· παροιμία, ἣν καὶ ἀναγράφουσιν· ἀφροδίσιος ὅρκος οὐ δάκνει[2]. **πρῶτος δὲ Ἡσίοδος ἔπλασε τὰ περὶ τὸν Δία καὶ τὴν Ἰώ.**

Sed et ipsum argumentum verborum et quo in carmine Hesiodeo hæc de Iove et Ione exposita essent, nihilo minus prorsus lateret, nisi optime nobis succurreret Apollodorus, qui hunc in modum fabulam pertractat II: 5 sqq.:

Ἄργου δὲ καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσωποῦ παῖς Ἴασος, οὗ φασιν Ἰὼ γενέσθαι. Κάστωρ δὲ ὁ συγγράψας τὰ χρονικὰ καὶ πολλοὶ τῶν τραγικῶν Ἰνάχου τὴν Ἰὼ λέγουσιν· Ἡσίοδος δὲ καὶ Ἀκουσίλαος Πειρῆνος αὐτήν φασιν εἶναι[3]. ταύτην

[1] Scriptura debetur Hermanno, quem Kirchhoff Rzach Maass alii secuti sunt. Paulson Studia Hesiodea p. 159 proposuit ἀπήμονα τοῖς ἀνθρώποις vel τοῖσι βροτοῖσι. Libri habent ἀμείνονα. Cfr Aegim. Fr. 4 K. et Rz.

[2] Cfr Callimach. Epigr. XXV W.

ὤμοσε Καλλίγνωτος Ἰωνίδι μήποτ' ἐκείνης
ἕξειν μήτε φίλον κρέσσονα μήτε φίλην.
ὤμοσεν· ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα τοὺς ἐν ἔρωτι
ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων.

Tibull. III: 6: 49 periuria ridet amantum Juppiter et ventos inrita ferre iubet.

[3] Cfr Herodian. π. μον. λεξ. p. 17 Πειρὴν καθ' Ἡσίοδον πατὴρ Ἰοῦς.

ἱερωσύνην τῆς Ἥρας ἔχουσαν Ζεὺς ἔφθειρε. φωραθεὶς δὲ ὑφ' Ἥρας τῆς μὲν κόρης ἁψάμενος εἰς βοῦν μετεμόρφωσε λευκήν, ἀπωμόσατο δὲ ταύτῃ μὴ συνελθεῖν· διό φησιν Ἡσίοδος οὐκ ἐπισπᾶσθαι τὴν ἀπὸ τῶν θεῶν ὀργὴν τοὺς γινομένους ὅρκους ὑπὲρ ἔρωτος. Ἥρα δὲ αἰτησαμένη παρὰ Διὸς τὴν βοῦν φύλακα αὐτῆς κατέστησεν Ἄργον τὸν πανόπτην. ὃν Φερεκύδης μὲν Ἀρέστορος λέγει, Ἀσκληπιάδης δὲ Ἰνάχου, Κέρκωψ δὲ Ἄργου καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσωποῦ θυγατρός· Ἀκουσίλαος δὲ γηγενῆ αὐτὸν λέγει.

Iam, credo, vides, quo spectent verba illa supra apposita, quæ ex Hesiodo servavit Platonis scholiasta; nempe ad ius iurandum, quo Iuppiter ab Iunone uxore deprehensus amorem in Io vaccam abiuravit. Quæ autem nomine Hesiodi, quem etiam bibliotheca disertis verbis auctorem laudat, affert scholiasta, ad Catalogos Hesiodeos referenda esse satis probabili ratione demonstravit Kirchhoffius l. l. Nam de Aegimio, cuius carminis auctorem etiam Hesiodum nuncupant, cogitari non posse, iam inde apparere, quod Hesiodum et Cercopem, Aegimii scriptorem, diserte distingueret bibliotheca. Quod licet "ut in compilatore non satis certum" videatur nonnullis, tamen rem ita se habere infra aliis argumentis confirmaturus sum, quam ob rem ex Catalogis fluxisse, quæ de Ione apud Apollodorum narrantur, manifestum atque exploratum puto. Hoc etiam inter omnes, qui mediocriter in his rebus versati sunt, satis constare videtur [1], Ac re vera cum bibliothecæ narratione, quam adscripsimus, adeo conspirat fragmentum illud Catalogorum, ut fieri non possit, quin ad eundem uterque locus redeat fontem.

[1] Cfr Maass l. l. p. XXV sqq. Edu. Meyer l. l. p. 68 adn. 4, Carolus Robert De Apollodori bibliotheca pp. 61, 77.

Cum iam evicerit Robertus De Apollodori bibliotheca p. 54, Apollodorum se per totum libellum accuratissime fontibus suis accommodasse, ita quidem ut nunquam aut perraro — verba Roberti sunt — varias auctorum suorum narrationes inter se conciliare studeret, optimum nos nanctos esse præsidium ad Ius fabulæ formam Hesiodeam restituendam suspicari licet. Videamus igitur, quo modo in bibliotheca procedat narratio. II: 6 sqq. W. hæc leguntur:

οὗτος — scilicet Ἄργος ὁ πανόπτης — ἐκ τῆς ἐλαίας ἐδέσμευεν αὐτὴν — τὴν Ἰώ — ἥτις ἐν τῷ Μυκηναίων ὑπῆρχεν ἄλσει. Διὸς δὲ ἐπιτάξαντος Ἑρμῇ κλέψαι τὴν βοῦν, μηνύσαντος Ἱέρακος, ἐπειδὴ λαθεῖν οὐκ ἠδύνατο, λίθῳ βαλὼν ἀπέκτεινε τὸν Ἄργον, ὅθεν ἀργειφόντης ἐκλήθη [1]. Ἥρα δὲ τῇ βοῒ οἶστρον ἐμβάλλει. ἡ δὲ πρῶτον ἧκεν εἰς τὸν ἀπ' ἐκείνης Ἰόνιον κόλπον κληθέντα, ἔπειτα διὰ τῆς Ἰλλυρίδος πορευθεῖσα καὶ τὸν Αἷμον ὑπερβαλοῦσα διέβη τὸν τότε μὲν καλούμενον πόρον Θρᾴκιον, νῦν δὲ ἀπ' ἐκείνης Βόσπορον. ἀπελθοῦσα δὲ εἰς Σκυθίαν καὶ τὴν Κιμμερίδα γῆν, πολλὴν χέρσον πλανηθεῖσα καὶ πολλὴν διανηξαμένη θάλασσαν Εὐρώπης τε καὶ Ἀσίας, τελευταῖον ἧκεν εἰς Αἴγυπτον, ὅπου τὴν ἀρχαίαν μορφὴν ἀπολαβοῦσα γεννᾷ παρὰ τῷ Νείλῳ ποταμῷ Ἔπαφον παῖδα.

Hac in narratione primum iuvat illud, quod cal-

[1] Et. M. s. v. Ἀργειφόντης· ἐπειδὴ τὸν Ἄργον ἐφόνευσε λίθῳ βαλὼν κελευσθεὶς παρὰ τοῦ Διὸς κλέψαι τὴν Ἰὼ βοῦν γενομένην. ἐφύλασσε δὲ αὐτὴν ὁ Ἄργος βουλήσει Ἥρας, ἔχων ἐν ὅλῳ τῷ σώματι αὐτοῦ ὀφθαλμούς.

lide observavit Kirchhoffius, abunde confirmatum videre. Cum enim, ut supra didicimus, Aegimii poeta et custodiam Ius et Argi necem ad Euboeam revocaverit, Apollodorus contra utrumque Mycenensium in luco factum esse exponat, eum fabulam ex Aegimio non hausisse tam perspicuum est, ut nullum verbum addam[1]. Idem cadit in ea, quæ sequuntur, quoniam Aegimii auctorem nondum quicquam de erroribus Ius enarrasse evicisse confidimus. Catalogos autem etiam hac in re bibliothecæ narrationi subesse, inde veri simillimum videtur, quod exstant fragmenta — Fr. 84, 85, 86 Rz. — quæ cum de variis mirisque populis non minus septentrionalis quam meridionalis terrarum partis, qui in fabulis celebrantur, agant, ad errores Ius spectare, subscriptoribus Ernesto Maass l. l. p. XXIX adn. 1, Eduardo Meyer l. l. p. 80, sagacissime vidit idem Kirchhoffius l. l. p. 329. Cum iam aliis fragmentis — Fr. 49, 50 Rz. — constet Danaidum Aegyptiorumque fata in Catalogis perscripta fuisse, Hesiodum in Aegyptum Io pervenientem finxisse in propatulo videtur. Ius historia nimirum ad Argivam Danaidum originem demonstrandam narrationi inserta fuit.

Singula igitur percensentes felicissimum in modum hucusque comprobari vidimus ad Catalogos redire, quæ in bibliotheca de Ione exponuntur. Sed nondum ad finem perduximus Apollodori narrationem. II: 9 W. ita pergit mythographus:

τοῦτον δὲ — Ἔπαφον παῖδα — Ἥρα δεῖται Κουρήτων ἀφανῆ ποιῆσαι· οἱ δὲ ἠφάνισαν αὐτόν. καὶ Ζεὺς μὲν

[1] Hoc verissime monuit Maass l. l. p. XXVI.

αἰσθόμενος κτείνει Κούρητας, Ἰὼ δὲ ἐπὶ ζήτησιν τοῦ παιδὸς ἐτράπετο. πλανωμένη δὲ κατὰ τὴν Συρίαν ἅπασαν (ἐκεῖ γὰρ ἐμηνύετο [ὅτι ἡ] τοῦ Βυβλίων βασιλέως [γυνὴ] ἐτιθήνει τὸν υἱόν) καὶ τὸν Ἔπαφον εὑροῦσα, εἰς Αἴγυπτον ἐλθοῦσα ἐγαμήθη Τηλεγόνῳ τῷ βασιλεύοντι τότε Αἰγυπτίων. ἱδρύσατο δὲ ἄγαλμα Δήμητρος, ἣν ἐκάλεσαν Ἶσιν Αἰγύπτιοι, καὶ τὴν Ἰὼ Ἶσιν ὁμοίως προσηγόρευσαν.

Num et hac in parte ad Catalogos redeat Apollodorus, ex fragmentis non liquet. Quod in fine Isis Græcorum Cereri comparatur, eam comparationem iam inde ab Herodoto[1] Græcis acceptam fuisse constat, heroicum autem poetam, si quid video, minime redolet. Qua in re testem adhibere liceat Hyginum, cuius narratio in summo cum bibliotheca consensu his verbis concluditur Fab. 145: *Iovis cum sciret suapte opera tot eam ærumnas tulisse, formam suam ei propriam restituit deamque Aegyptiorum esse fecit, quæ Isis nuncupatur.*

Quod vero ad Curetes Epaphum tollentes Ionemque eum inquirentem attinet, si quidem iam Aegimiea in fabula eiusmodi narrationem locum habuisse recte coniecimus, fieri potest ut iam Hesiodus hæc ex Aegimio Isidisque fabula ipse contaminaverit vel ex alio

[1] Herod. 2: 59. Cfr Edu. Meyer l. l. p. 78 adn. 1. Plew in Annal. Fleckeisen 1870 p. 671: "die gewöhnliche anschauung war wohl die, dass Io durch des Zeus macht in Aegypten solche göttliche functionen übertragen seien, wie sie sonst Demeter versehe." Inde haud scio an oriunda sit fabula, quæ prostat apud Libanium Antioch., qua narratur Triptolemus dux classis ab Inacho emissus esse ad indagationem filiæ, quæ disparuerat.

receperit, ut non habeamus, cur ad alium fontem quam quæ præcedunt ea referamus.

Iam paucis comprehendam, quæ bibliothecæ Apollodori narrationem examinantes de Ius fabulæ forma Hesiodea enucleavimus. Hæc fere certa sunt:

Io, Pirenis filia, Iunonis sacerdotio fungens amorem Iovis accendit. Quam virginem cum compressisset deorum pater, ab uxore deprehensus iniecta manu nitidam in vaccam eam mutavit negavitque iure iurando se cum vacca coiisse. Sed fraudem nihilo minus suspicans Iuno vaccam ab eo donum petiit, quam acceptam Argo Panoptæ, ex Terra genito, custodiendam tradidit. Qui cum vaccam ad oleam Mycenensium in luco alligatam custodiret, Mercurium ablegavit Iuppiter, ut eam dolo subduceret. Quod cum facere non posset, lapidis ictu Argum interfecit, quo facto Iuno oestro immisso vaccam miseram per terras egit, donec in Aegyptum perlata humana forma restituta Epaphum filium enixa est virgo. Tum dea Aegyptia, quæ Isis nuncupatur, facta est.

Hesiodi igitur secundum memoriam primæ fabulæ partes Argis, in Aegypto ultimæ agunt. Alterum diserte dicit Apollodorus, alterum ex eo perspicuum est, quod ἐν τῷ Μυκηναίων ἄλσει vaccæ custodiam egit Panoptes. Testatur etiam Stephanus Byz. sub verbo Μυκῆναι, urbem nomen suum accepisse ἀπὸ τοῦ μυκήσασθαι τὴν Ἰὼ βοῦν ἐκεῖ γενομένην, quæ verba huc referenda esse patet. Dicit quidem Plinius H. N. 16: 239: *Argis olea etiamnum durare dicitur, ad quam Io in tauram mutatam Argus alligaverit.* Sed quæ primo

obtutu inter se pugnare videntur, facillime coniunguntur. Nam celeberrimum illud nemus Iunoni sacrum medium fere inter Argos et Mycenas situm ut utrique urbi commune alter auctor alteri tribuit. Testis idoneus est Strabo VIII: 372: τὸ Ἡραῖον εἶναι κοινὸν ἱερὸν τὸ πρὸς ταῖς Μυκήναις ἀμφοῖν — sc. τῷ τε Ἄργει καὶ ταῖς Μυκήναις —. Antiquiorem autem memoriam secutus est Hesiodus. Fert enim memoria — Strabo VIII: 372, 377, Diodorus XI: 65 — Heræum, templum illud antiquissimum Iunonis, a Mycenæis conditum opibus Argivorum crescentibus cum iis communicatum Mycenisque sub dicionem eorum redactis ipsaque urbe denique deleta ab Argivis occupatum esse. Quin etiam suspicati sunt nonnulli[1], Tirynthios primos Argivam Iunonem coluisse. Cui suspicioni mire favet, quod de antiquissimo Iunonis Argivæ simulacro refert Pausanias II: 17: 5:

τὸ δὲ ἀρχαιότατον — scilicet ἄγαλμα Ἥρας — πεποίηται μὲν ἐξ ἀχράδος. ἀνετέθη δὲ ἐς Τίρυνθα ὑπὸ Πειράσου τοῦ Ἄργου, Τίρυνθα δὲ ἀνελόντες Ἀργεῖοι κομίζουσιν ἐς τὸ Ἡραῖον. Cfr etiam VIII: 46: 3. Eadem fere paullo accuratius exponit Plutarchus Dædal. fragm. 10: λέγεται δὲ Πείρας ὁ πρῶτος Ἀργολίδος Ἥρας ἱερὸν εἱσάμενος τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα Καλλίθυιαν ἱέρειαν καταστήσας, ἐκ τῶν περὶ Τίρυνθα δένδρων ὄγχνην τεμὼν εὐκέατον, Ἥρας ἄγαλμα μορφῶσαι. Quibus optime concinit Africani testimonium apud Georgium Syncellum p. 283 B. = Eusebius II p. 20 Sch.:

[1] Edu. Meyer Gesch. d. A. II § 119 sqq. Curtius Peloponn. II p. 399.

Καλλίθυια Πείραντος ἐν Ἄργει πρῶτον ἱεράτευσε τῆς Ἥρας[1].

Hæc Καλλίθυια in carmine epico, quod Phoronis inscribitur, Καλλιθόη audit, quæ eadem prima Argivæ Iunonis sacerdos appellatur apud Clem. Alex. Strom. I p. 418 = Fr. 4 K.

γράφει γοῦν ὁ τὴν Φορωνίδα ποιήσας·

Καλλιθόη κλειδοῦχος Ὀλυμπιάδος βασιλείης
Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισι
πρώτη κόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

Nam Καλλιθόη non diversam esse ab Callithyia, nemo non videt[2]. Testis antiquus præterea, nisi fallor, est Hyginus Fab. 145: *ex Pirantho* [*et* expulit Scaligerus] *Callirhoe, Argus Arestorides, Triopas;* ubi *Pirante* et *Callithoe* legendum esse, verissime monuit Knaackius Phil. Unters. VIII p. 59 adn. 67.

Quænam igitur intercedit ratio inter hanc Καλλίθυιαν vel Καλλιθόην et Io nostram, quæ apud Hesiodum Aeschylum alios sacerdos Iunonis fertur? Hesychius quidem Ionem plane eandem atque Callithoen esse diserte statuisse videtur s. v. Ἰώ Καλλιθύεσσα· καλλιθύεσσα — correxerunt καλλίθυια — ἐκαλεῖτο ἡ πρώτη ἱέρεια

[1] Scholia Aratea 161 p. 368 Maass: οἱ δὲ μυθολόγοι τὸν Ἡνίοχον λέγουσιν εἶναι εἴδωλον . . . Τροχίλου τοῦ Καλλιθυίας παιδός, τῆς πρώτης ἐν Ἄργει γενομένης ἱερείας.

[2] Edu. Meyer l. l. p. 90 adn. 2 sub finem: "Die ursprüngliche Namensform ist wohl Καλλιθυῖα (vom Opfercultus entlehnt), die, weil sie im Hexameter unmöglich ist, verschieden modificirt wird." Ibidem adn. 3: "Aristides or. 46, 3 erwähnt neben anderen Urmenschen Καλλαίθυιαν ἀρίστην γυναικῶν ἅμα καὶ ἀνδρῶν γενομένην."

τῆς Ἥρας. Atque Hesychio recentiorum plerique adstipulantur etiam ea re credo adducti, quod etiam Io κληδοῦχος Ἥρας τῇδ' ἐν Ἀργείᾳ χθονί appellatur Aesch. Suppl. vv. 291—92, ut verba illa de Callithoe Phoronidos ante oculos habuisse summus ille tragicus videri possit[1].

Sed haud consentaneum est, rem a principio ita se habuisse. Multo veri similius videtur Callithoen cum Ione prorsus nihil habuisse. Nam Phoronidos carmen Ius fabulam non respexisse satis probabili ratione coniecit Eduardus Meyer l. l. p. 90 et adn. 2. Neque hanc illi plane respondere potuisse demonstravit, quare vix aliud restare videtur, nisi ut Callithoen primam Argivæ Iunonis sacerdotem fuisse sacerdotiumque eius postea in Io translatum statuamus. Nam locum principem Callithoæ debere, dubium esse nequit[2]. Quare si supra Ionem Euboeæ iure vindicavimus, haud improbabile videtur, Hesiodum primum ex Euboica et Boeotica fabula eam recepisse atque Callithoes in locum substituisse[3]. Indidem utrum Pirenen, cuius filiam Hesiodus solus — nam Acusilaum Hesiodum secutum

[1] Preller-Robert Griech. Myth. pp. 395, 172 adn. 1. Maass l. l. p. XXX. Knaack l. l.

[2] Inde facillime explicari posse videtur hydria illa quinti sæculi rubris figuris picta, quam breviter descripsit E. Petersen Mittheil. des röm. Instituts 1893 p. 338, 17; repræsentat enim hoc vasculum Mercurium Argum custodem persequentem præsentibus et vacca fugiente et sacerdote quadam κλειδὶ κατωμαδίᾳ insigni. Cfr infra p. 32.

[3] Argutius quam verius Eduardus Meyer l. l. p. 91 sq. Hesiodum Io ex "Danaide" carmine epico sumpsisse statuit. Nam argumentis prorsus carent, quæ de ea re disputavit.

esse constat — Io nuncupat, receperit necne, diiudicare non audeo. Ex iis, quæ supra disputavimus, tamen veri simillimum mihi videtur.

Septimo demum sæculo cum terram suam Græcis aperuisset Psammetichus, fabulam nostram in Aegyptum translatam narrari potuisse, certissima ratione evicerunt Kirchhoffius et Meyerus. Tale autem incrementum eo facilius fabulæ accedere potuisse, quod iam Euboica in fabula Aegyptus quædam locum haberet, primus vidit Ernestus Maass. Parvam enim, quæ dicitur, Aegyptum satis certa ratiocinatione ad Euboeam rettulit l. l. p. XXII sq.[1] Cui haud illepidæ coniecturæ subvenit Ioannes Tzetzes, qui Lycophronis Alexandræ v. 835 his verbis explicat:

λέγει δὲ τὸν Ἑρμῆν· Ἑρμῆς γὰρ φυλάττων ἐν Αἰθιοπίᾳ βουλῇ τοῦ Διὸς τὴν Ἰώ, ἵνα μὴ ὑπὸ τῆς Ἥρας βλαβῇ, καὶ διψήσας ἐλάκτισε τὴν γῆν· καὶ ἀνέδωκεν ὕδωρ, ὅθεν ὁ τόπος Ἑρμοῦ Πτέρνα καλεῖται ὡς Πηγάσου κρήνη καὶ Σκάμανδρος ποταμός.

Quod testimonium in usum suum vertere noluisse doctissimum virum valde demirati sumus, donec inter addenda p. XXXVIII id subiunctum invenimus. Quid enim Aethiopiæ cum custodia Ius sit, nemo credo di-

[1] Hanc ad sententiam fulciendam præter alia, quæ ipse attulit Massius, ni fallor, etiam valet, quod Νηλεύς flumen Euboicum commemoratur apud auctores. Confer Strabo X p. 449, Plinius H. N. XXXI: 2: 13, [Aristot.] mirab. 170, Antigon. Kar. Hist. mirab. 78 p. 81: 4 Westerm. Nam Νῆλος-Νηλεύς doricam-æolicam formam ad ionicam Νεῖλος-Νειλεύς respondere nuper docuit Usener Göttern. p. 13. Maassii sententiam frustra reiicere conatus est Weckleinius Studien zu den Hiketiden des Aeschylus. Sitzungsb. d. A. d. W. zu München 1893 p. 393 sqq.

cere potest. Sin autem in Euboea hanc Aethiopiam quærere volumus, perbene quadrant omnia. Neque frustra quærimus. Conferas velim Harpocrat. s. v. Αἰθόπιον· ὄνομα χωρίου ἐν Εὐβοίᾳ, Anecdota Græca I p. 355 Bekker: Αἰθιόπιον τῆς Εὐβοίας ἐστὶ χωρίον, Steph. Byz. s. v. χωρίον . . . πλησίον τοῦ Εὐρίπου, ἀφ' οὗ ἡ Ἄρτεμις Αἰθοπία[1]. Quid? si et alia via fons ille Mercurii, de quo loquitur Tzetzes, ad eas regiones revocare possumus. Crusius quidem s. v. Kadmos Nr 32 in lexico mythologico Roscheri adhibuit Sostratum apud Pseud. Plutarchum de fluviis II: 1, qui Ismenum flumen quondam Cadmi pedem vocatum esse refert, quod Cadmus dracone illo interempto fontem quærens κατὰ πρόνοιαν Ἀθηνᾶς τὸν δεξιὸν πόδα βαθύτερον εἰς πηλὸν ἤρεισεν· ποταμοῦ δ' ἀναδοθέντος ἐκ τοῦ τύπου, ὁ ἥρως βουθυτήσας Κάδμου πόδα προσηγόρευσεν αὐτόν.

Quibus verbis licet pro eius libelli ratione parum confidere velis, tamen dubitationem non admittit narratio illa de Chalcone apud Theocritum VII: 6 sqq., quam iam Lobeckius Paralipom. 467[16] cum historiuncula, quæ est apud Tzetzen, composuit[2]. Narrat enim Theocritus, eponymum illum Chalcidis urbis Coi in insula pede suo fontem illum, cui nomen est Burinæ, eodem fere modo atque Mercurium in Aethiopia rupisse.

Nullus igitur dubito, quin ad Euboeam referenda sit Aethiopia illa, ubi Mercurium Ius custodiam egisse

[1] De Diana Aethiopia fuse atque argute disputavit Maassius l. l. p. XXIII. Confer etiam Preller-Robert Griech. Myth. p. 313 adn. 1.

[2] Conferendus est Tümpel Philol. 1891 p. 628 adn. 61.

fert Lycophronis scholiasta. Atque in Euboea præcipue floruisse ac viguisse fabulam nostram, iam ex Aegimio didicimus. Idem etiam posteriorum commenta indicare videntur. Aut enim egregie fallor, aut ad Euboeam spectat Iuppiter Epicarpius, qui Antiochena in fabula[1] cum Ione connectitur. Nam Epicarpius, quod quidem compertum habeam, nusquam Græciæ nisi in Euboea invenitur. Testis est Hesychius s. v. Ζεὺς ἐν Εὐβοίᾳ[2]. Idem cadit in Iovem Casium. Denique haud scio an huc etiam faciant, quæ de Cyrno urbe Ciliciæ exponit Diodorus V: 60: 4. Cyrnum quidem locum Euboicum affert Bursian Geogr. 2: 435.

Quæ omnia licet minus premenda sint, tamen maximi momenti est, quod Chalcidica origine habetur vas antiquissimum, quod fabulam repræsentat. Est amphora illa Monacensis nigris figuris depicta, de qua infra amplius disputabimus.

Hæc ratiocinatio si valet, facere non possum quin, quæ iam supra passim strinximus, scilicet Ius fabulam ex Euboea in Argos atque Aegyptum traductam esse, diserte statuam. Iam unde Aeschylus Euboeæ mentionem non faciat patet. Silentium eius inde proclive etsi non prorsus necessarium est explicare, quod ex duabus quæ vigebant traditionibus optionem faciens alteram tacite reiecit, probavit alteram. Antiquiorem esse Euboicam fabulam vel inde consentaneum videtur, quod cum Argiva fabula, quæ totam per antiquitatem

[1] Liban. Antioch. p. 287 ed. Reiske.

[2] Bullet. de Corresp. Hell. 1889 p. 310. Preller-Robert Griech. Myth. p. 130 adn. 3.

et scriptorum memoria et narrationibus populi celeberrima fuit, semel carmine comprehensa esset, vix fieri potuit, ut Euboica illa fabula subnasceretur. Septimo autem sæculo a. Chr. n. Argivos fabulas sacras, cultus ritusque affatim ex Boeotia et Euboea arripuisse, egregie demonstravit Gruppe Griech. Myth. p. 64 sq. Quare hanc ad illam innovatam esse pro explorato habeo.

Periurium illud, quo Iuppiter uxorem de furto celare conatus est, Hesiodum primum finxisse testatur Hesychius s. v. ἀφροδίσιος ὅρκος. Cuius periurii cum causa et ratio non sit, nisi Iuppiter mutatæ virginis ipse auctor est, necessario consequitur, ut ne hoc quidem commentum ante Hesiodum invenerit lexicographus. Cum iam ex iis, quæ supra disputavimus, eluceat ex Catalogis Hesiodeis delibatum esse fragmentum illud, ad quod Hesychii testimonium referendum esse in consensu est, et hac in parte Hesiodeam narrationem ab Aegimiea recessisse, in promptu est concludere. Meo igitur iure sumere mihi videor, Aegimii auctorem virginis mutandæ munus Iunoni attribuisse, ut est apud Aeschylum in Supplicibus.

Quæ suspicio, quoniam temporis invidia fragmentis destituti sumus, certis argumentis probari quidem nequit, sed tamen eo commendatur, quod certe primaria habenda est ea fabulæ forma, quæ transformationis auctorem Iunonem exhibet. Weckleinio[1] quidem

[1] Αἰσχύλου δράματα ed. Zograph. Pars II p. 17: κατὰ τὴν συνήθη παράδοσιν, τὴν ἀπαντῶσαν ἤδη ἐν τῷ Ἡσιοδείῳ ποιήματι, ὅπερ ἐπεγράφετο Αἰγίμιος, μεταμορφοῖ οὐχὶ ἡ Ἥρα, ἀλλ' ὁ Ζεὺς

nullo pacto concedere possum, hoc indicari vel ipsis verbis, quibus Pausanias antiquissimum, cuius ad nos pervenit memoria, artis monumentum, quo repræsentata fuit fabula, anaglyphum dico in solio Amyclæo, descripsit III: 18: 13: Ἥρα δὲ ἀφορᾷ πρὸς Ἰὼ τὴν Ἰνάχου βοῦν οὖσαν ἤδη. Ita enim comparata sunt periegetæ verba, ut non videam, quonam modo ex iis ipsius Pausaniæ sententia enucleari possit, nedum utra fabulæ forma Bathycli, solii fabricatori, obversata sit, divinare liceat. Ipsi sententiæ autem, quam Wckleinius ambiguis Pausaniæ verbis obtrusit, alia via subvenire possumus. Primum enim Hesiodea narratio ut magis impedita et dramatica eo ipso se recentiorem prodit, id quod verissime monuit Eduardus Meyer l. l. p. 71. Deinde alia fabula, quæ sæpissime cum nostra componitur, adhibita idem coniectura assequi possumus. Nam Callisto cum antiquissimam secundum fabulæ formam, quæ est apud Hesiodum, Diana in ursam converteret, deinde apud Callimachum Dianæ partibus ad Iunonem translatis, Iunoni, apud mythographum nescio quem denique, ad Ius fabulæ exemplum ut vulgo credunt[1], Iovi mutantis partes tributæ sunt[2].

τὴν Ἰὼ εἰς βοῦν. — Unde hoc de Aegimio habeat, scire velim. Argumenta afferre quasi in re explorata supersedit. Legentes autem relegat ad Apollod. 2, 1, 3, 2, ex quo eum inter Catalogos et Aegimium non satis distinxisse merito colligimus. — Ἀλλὰ τὸ ἐν τῷ θρόνῳ τοῦ Ἀμυκλαίου Ἀπόλλωνος ἀνάγλυφον ὅπερ περιγράφων ὁ Παυσανίας λέγει 3: 18: 3 — Pausaniæ verba adscripta sunt — παραινίσσεται, ὡς φαίνεται, τὴν διὰ τῆς Ἥρας μεταμόρφωσιν.

[1] Preller-Robert Griech. Myth. p. 304 adn. 2 sub finem.

[2] De hac re accurate egit Franz De Callistus Fabula p. 286 sq. Num autem priorem formam simpliciorem Pausaniam

Enarravi fere quæ de Aegimiea Hesiodeaque fabulæ forma ex ipsis reliquiis erui possunt vel satis probabili ratiocinatione adhibita coniici licet. Quæ etsi ad singillatim inter utramque distinguendum nullo pacto sufficiunt, tamen in universum ad ipsa lineamenta utriusque refingenda satis superque præbuerunt adiumenti. Artis monumenta non item. Cum antiquissimum illud artis specimen, quo Ius fabula illustratur, cui tempus pepercit, Chalcidica origine sit, suspicari quidem in promptu est, vasis pictorem eandem secutum esse traditionem atque Aegimii auctorem, quem totam fabulam prope a Chalcide transactam finxisse vidimus. Neque tamen nuda hæc suspicio ius nobis facit omnia, quæ in imagine conspiciuntur, ad Aegimium auctorem revocandi, et ceteroquin frustra quærimus ansas, quibus alteram ab altera disiungere possimus, quare cum iam ad monumenta nos convertimus, quæ ad epicam narrationem pertinere videntur, promiscue in unum componere ex usu sit. Quæ ratio etiam eo commendatur, quod imagines, quas huc refero, genus quoddam certis finibus circumscriptum efficiunt, quod a ceteris divellendum est. Vasa, quibus velut ad insignem generis notam id commune est, quod Io sub vaccæ figura in iis conspicitur, hæc sunt.

I. Primum locum obtinet amphora illa Chalcidica artis archaicæ nigris figuris picta, quæ Monaci exstat in

perstrinxisse I: 25: 1 γυναῖκας δὲ πλησίον Δεινομένης Ἰὼ τὴν Ἰνάχου καὶ Καλλιστὼ τὴν Λυκάονος πεποίηκεν, αἷς ἀμφοτέραις ἐστὶν ἐς ἅπαν ὅμοια διηγήματα, ἔρως Διὸς καὶ Ἥρας ὀργὴ καὶ ἀλλαγή, τῇ μὲν ἐς βοῦν, Καλλιστοῖ δὲ ἐς ἄρκτον, recte statuerit, dubito.

glyptotheca 573. Sæpe haud diligenter publici iuris facta ad unguem demum delineata est Wiener Vorlegebl. 1890/91 Tab. XII: 1 a, b. Confer præterea Panofka Argos Panoptes, Abhandl. der Berl. Akad. 1837 p. 123 Tab. V, Engelmann De Ione p. 15 F., Overbeck K. M. Zeus p. 474. Atlas Tab. VII: 19. Qui omnes cum picturam satis scite et probe descripserint, singula quidem recensere hoc loco supersedere possum. Ea tantum paucis comprehendere velim, quibus artificem Aegimieæ et Hesiodeæ narrationi obsecutum esse patet.

Cernimus Argum monstri verius quam hominis specie humi sedentem dextra tenere funem, quo circumvinxit cornua vaccæ, quæ ante eum mediam imaginem tenet. In pectore eius adverso duo appositi sunt oculi, quorum alter tantum in conspectum cadit, alterum sub barba promissa occultatum esse probabiliter statuitur. Tota figura primo obtutu in memoriam revocat custodem illum κρατερόν τε μέγαν τε, τέτρασιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενον ἔνθα καὶ ἔνθα. Licet enim illud ἔνθα καὶ ἔνθα magis proprie exprimant monumenta, in quibus velut Ianus biceps fingitur Argus [1], tamen dubium esse nequit, quin ἔνθα καὶ ἔνθα etiam dici possit de oculis ea ipsa ratione, quæ in nostro monumento obtinet, appositis. Nam industria ita ficti videntur oculi, ut non recta via sed in utramque partem prospiciant. Quod ut statuamus etiam suadet vas illud pulcherrimum Rubustinum Wiener Vorlegebl. l. l. Tab.

[1] Expressa sunt apud Overbeck Atlas Tab. VII: 9 et 13. Cfr infra Nr II.

XII: 2, cuius auctor Argi corpus quattuor huius ipsius generis oculis tanta cum perspicuitate distinxit, ut ultra veri speciem res ascendat. Porro momentum facit, quod Argum bifrontem fingere ut magis ingeniose excogitatum, ita tempore posterius esse commentum, iam per se patet.

A sinistra parte Mercurius, quem canis sequitur, gradu suspenso procedit, nimirum ut vaccam furto surripiat. Iamiam germanus βοῦκλεψ sinistra manu funem, ut vaccam solvat, prensavit. Callidum autem abactorem iam conspexit Argus, ut scire liceat Mercurium conatum perficere non posse. Quo modo iam rem procedere putamus? Nonne tibi imaginem intuenti in mentem veniunt verba Apollodori ἐπειδὴ λαθεῖν οὐκ ἠδύνατο, λίθῳ βαλὼν ἀπέκτεινε τὸν Ἄργον. Sane optimum in modum his verbis illustratur scæna, quam pictura nostra exprimit. Dextra enim manus Mercurii ita formata est, ut eum lapidem ea tenere vel iamiam humo sublaturum esse divinemus. Negat quidem Conradus Wernicke, Pauly et Wissowa Realencykl. s. v. Argos, de nece Argi hoc loco cogitari posse, quoniam non minus Argus quam Mercurius inermis sit. Quod alterum nihil valet, cum antiquioribus in monumentis semper sine armis conspicitur Argus. Quonam autem modo Iovis nuntius eum interempturus sit, iam satis demonstrasse confidimus [1].

[1] Iuvat in memoriam revocare Persea eadem ipsa ratione antiquitus nullis armis ad Andromedam liberandam accedere lapidibusque, quos Andromeda ei adhibet, beluam aggressum esse. Cfr Annal. d. Inst. 1878 p. 301 sqq. Mon. d. Inst. X: 52.

Quoniam iam arborem, quæ pone vaccam cernitur, oleam illam Mycenensium in luco significare omnes consentiunt, omnia tantum non clamant, argumentum picturæ ex Aegimiea et Hesiodea fabula haustum esse.

In calce perpauca disserere lubet de cane, quem Mercurium sequi supra diximus. Adhuc ad unum omnes mirum in modum consentientes statuerunt canem Argi esse eumque officii sui parum memorem caudam leniter atterentem furi se insinuare velle. Cui interpretationi, quæ inde credo profecta est, quod antea totam imaginem velut antiquitatis speciem captantem in risum depravatam esse censuerunt[1], ipsa species obloquitur. Canis videlicet ipsius Mercurii est, qui ut animal deo consecratum sæpe eum mandata Iovis perficientem prosequitur. Ita Mercurium cum cane suo tres deas ad Parim deducentem haud raro videmus. Conferas Journ. of Hellen. Stud. 1886 p. 202.

Canem Mercurio tribuendum esse, eam ad rem comprobandam, si quis insuper quærat argumenta, etiam

[1] Overbeck l. l.: "Das Gemälde ist offenbar komisch oder parodisch und zwar sowohl in den Formen der übrigens sorgfältigen Zeichnung wie in den Motiven der Handlung und in seinem nachgeahmt archaischen Stil . . . Auch der Hund ist parodisch behandelt; denn anstatt den Kuhdieb anzubellen oder sich gegen ihn zur Wehre zu setzen, ist er ihm freundlich entgegengelaufen und mit ihm umgekehrt und steht nun, auf Hermes zurückblickend, mit einem erhobenen Vorderfusse wie ein Vorstehhund vor der Kuh da, wartend der Dinge, die da kommen sollen." Hanc sententiam de quæsita antiquitatis specie in universum iure reiecit Wernicke l. l., sed nihilo secius parum sibi constans de cane eodem modo atque Overbeckius iudicavit: "der neben ihm tänzelnde Hirtenhund scheint dem Gotte pflichtvergessen zu schmeicheln."

valet patera illa, quam delineandam curavit Masner Die Sammlung antiker Vasen und Terracotten im k. k. österreichischen Museum Fig. 24, in qua Mercurius cum cane suo operimento quodam ad suis imitationem obducto conspicitur, et ante omnia stela illa Delphi prope a theatro reperta, quam expressam habemus Bullet. de Corr. Hell. XIII (1889) p. 375, Tab. XII—XIII. In ea inter nuda nomina propria variasque figuras Ερμει dedicatas non minus quam novem canes insculpti insunt.

II. Amphora attica archaicæ artis nigris figuris ornata, quæ Romæ in collectione "Bassegio" servatur. Delineata exstat Révue Archéol. III (1846) p. 310, Overbeck K. M. Atlas Tab. VII: 9. Imago eandem fere præbet speciem, quam iam cognitam habemus, eatenus modo variatam, ut paullo amplius res processerit. Nam Argum, quem bifrontem quidem sed ceteroquin vera hominis figura expressit artifex, iam in terram detrusum gladio se iugulare parat Mercurius. Cum igitur deus iam gladio armatus sit, inermis etiamnunc restat Argus, ut dextra tantum manu quasi ad deprecandum sublata se defendere possit.

Ab altera parte Io sub vaccæ figura sinistrorsum alligata nisi fallor astat. Vaccam alligatam esse mihi quidem, quantum ex imaginibus, quæ mihi præsto sunt, iudicare licet, duo illi ductus, qui circum collum conspiciuntur, significare videntur. In testimonium voco verba Ovidii Metam. I: 630:

indigno circumdat vincula collo.

Pro olea autem locum pone vaccam occupavit Iuno,

quæ nulla re nisi nomine adscripto conspicua utraque manu porrecta cito provolat, nempe ut Mercurium a cæde custodis sui perpetranda avocet. Argus Mercuriusque non minus quam Iuno inscriptionibus designati sunt. De ceteris confer Vitet Révue Archéol. l. l., Engelmann l. l. p. 23 L, Overbeck l. l. p. 476 Nr. 14.

III. Tertium in quo vacca conspicitur Io monumentum hydria illa est quinti sæculi rubris figuris ornata, cuius iam supra obiter mentionem fecimus. Huius vasculi notitiam debemus Eugenio Petersen, qui primus id descripsit Röm. Mitth. 1893 p. 338 Nr. 17, quo tempore in collectione "Salvatore Pascale Alle Curti Presso S. Maria Di Capua" asservabatur. Quo iam post mortem possessoris devenerit nescio. Quæ hydria cum quantum compertum habeo adhuc restet inedita, de imagine hoc loco paullo copiosius disputare ex usu mihi videtur. Præsto mihi est delineatio, quam liberalitati Ludovici Pollack debeo, qui ut apographum — "Bause" quæ germanice dicitur — ab amico factum meum in usum converterem benigne mihi concessit; cuius insigni erga me benevolentiæ gratias vel maximas et hoc loco agere licet.

Locum quendam sacrum videmus ara et columna insignem redditum, ex quo citato cursu fugit vacca, cui latus cingit homo barbatus, quem Panopten esse oculi totum per corpus nudum dispersi indicant. Fugiens dextra manu clavam vibrat retroque verso ore sinistram intendit in Mercurium, qui fugientes adurgens iamiam gladium stringens custodem assequi videtur. A sinistra parte adstat mulier, cuius in dextra manu

κλεῖς κατωμαδίη conspicitur. Sinistra sceptrum tenet. Sacerdos igitur templi est. A tergo eius vir quidam barbatus baculo innititur. Dextra latus comprehendens sinistram attonitus vel terrore percussus sursum intendit. Huic viro ab altera parte respondet mulier prope ab ara collocata, quæ eadem ipsa ratione eademque de causa utramque manum attollit.

Repræsentata igitur est liberatio Ius, id quod primo obtutu apparet neque principem editorem latuit. Neque ubi res agatur in obscuro est. Nam mulierem illam sceptrum et clavem, sacerdotum insignia, gerentem Iunonis sacerdotem esse vix est quod moneam, atque Mycenensium in luco Argum, cum a Mercurio opprimeretur, Ius custodiam egisse inde statuimus. Idem indicant et ara et columna non minus quam flores, quæ Argi sub pedibus germinant.

Quænam vero habenda est sacerdos illa? Ionem esse non posse iam inde proclive est videre, quod artificem bifariam eam et vaccam et sacerdotem finxisse cogitari nequit. Fieri quidem potest, ut nihil nisi ad locum sacrum indicandum sacerdos valeat. Quod si reapse denominanda est, Callithoes nomen, quam alteram Iunonis sacerdotem plane ab Ione diversam supra cognovimus, ei debere facere non possum quin credam.

Mercurius, cuius a cervice viatorum more petasus pendet, nullo attributo insignitus tunica brevi et chlamyde vestitus est. Dextro genu inflexo in Argum prosiliens iam manum admovit capulo gladii, quo unico custodem aggreditur ferro. Argus autem, quem in artis antiquissimæ monumentis inermem vidimus, in

dextra clavam vibrat, sed nihilo minus gladio cinctus est. Capiti imposito pileo, qualem piscatores et nautæ habere solent, pellis ab humeris dependens tergum sinistrumque lacertum tegit. Totum corpus nudum oculis conspersum est. Idem ille Panoptes igitur ante oculos versatus esse videtur pictori, quem familiarem nobis facit Apollodorus II: 4 W.:

εἶχε δὲ οὗτος ὀφθαλμοὺς μὲν ἐν παντὶ τῷ σώματι, ὑπερβάλλων δὲ δυνάμει τὸν μὲν τὴν Ἀρκαδίαν λυμαινόμενον ταῦρον ἀνελὼν τὴν τούτου δορὰν ἠμφιέσατο.

Restant duo illæ figuræ, quæ alteri altera respondens ab utraque parte imaginem cingunt. Virum Iovem esse, Iunonem mulierem statuit Eugenius Petersen ea re credo adductus, quod virum, qui eodem fere habitu occurrit in aliis, quibus fabula nostra illustratur, monumentis, Iovem vulgo dixerunt. Num autem id satis recte sumpserint docti viri, dubium mihi videtur. Quod nudum ponere hoc loco satis habeo. Infra alia monumenta de ea re fusius disputandi nobis præbebunt occasionem.

Lyricorum poetarum Bacchylides, quem nuper sepulcrorum ex tenebris felicissimo casu recuperavimus, unus, quantum scimus, Ius fabulam peculiari celebravit carmine. Nam undevicesimo[1], quod ΙΩ ΑΘΗΝΑΙΟΙΣ inscribitur, in carmine poeta inde a versu quinto decimo in singulis percensendis nullo modo immoratus Inachi filiæ historiam summatim exponit.

[1] Duodevicesimum carmen est editionis Blassii, qui septimum et octavum unum esse carmen sibi persuasit.

Quod munus fortunæ pergratum licet ad Ius fata iam aliunde cognita novi prorsus nihil addiderit, tamen de historia fabulæ nostræ nonnulla haud contemnenda novo auctore addiscere possumus. Summa enim rerum fastigia etsi brevissime persequitur, paullo copiosius de Argo custode, quem Terræ filium nuncupat, eiusque nece agit. Postquam Hesiodeam narrationem aperte perstringens, custodem pervigilibus oculis undique obsæptum ut falleret, ne Maiæ quidem filio contigisse negavit, quonam modo a custode liberata sit Io, pro dubio relinquit. Quatenus ob contextum, qui hac in parte pessime mutilatus ad nos pervenit, iudicare licet, tres varias respexit narrationes, quarum primam custodem denique a Mercurio interfectum esse, Pieridas ærumnarum finem custodi fecisse tertiam rettulit. Quid secundo loco positum fuerit, non expedio[1].

Iam Bacchylidem igitur varias Ius fabulæ formas novisse sponte intelligitur, quod de Argi cæde utram utri præferret dubitavit. Quemnam autem auctorem in summa fabulæ adumbranda potissimum secutus sit, haud facile est assequi. Heroicum quidem esse poetam pro haud dubio habendum est, sed Ius patrem Inachum, Terræ filium Argum nuncupans in genealogiis ita ab Hesiodo recedit, ut Bacchylidem eum auctorem non esse secutum scire liceat. Ut autem ab Hesiodo longe abhorret, ita cum Aeschylo optime consentit, ut utramque

[1] Duo notandi sunt Bacchylidis verba refingendi conatus: Jebb proposuit ἐς τέλος σφ' ἔτειρον; Jurenka αἰνὰ γυῖ' ἔλυσαν scripsit; quorum neutrum in contextum Blassium recipere voluisse non est quod miremur.

narrationem ex uno eodemque fonte manasse ante oculos positum videatur. Quem in fontem infra de Aeschylo disputantes amplius inquirere volumus.

Ad fabellam illam de syringe, cuius cantu Mercurius Argi oculos in somnum composuit, spectare verba Bacchylidis

v. 35 sq. ἢ Πιερίδες φύτευ[σαν ἀδύμῳ μέλει][1]
καδέων ἀνάπαυσ[ιν ἀμέραν]

iam princeps editor Kenyon recte monuit. Bacchylidis igitur testimonio antiquissimam deprehendimus hanc narrationem, quam adhuc ex Ovidio[2] tantum picturisque quibusdam parietum Pompeianis cognitam habuimus. Sed de Bacchylide quidem hactenus.

Nunc tempus est transire ad Aeschylum, quem iam ab initio optimum ad fabulam nostram cognoscendam constituimus auctorem. Qui cum non semel sed bis, et in Supplicibus et in Prometheo vincto, accurate et copiose totam Ius historiam exposuerit, quam fabulæ formam summus ille tragicus tradiderit, nullo negotio enodari posse primo obtutu videtur. Quo sæpius autem et attentius singulas fabulas perscrutati sumus, eo maior mihi quidem inter narrationes eiusdem auctoris diversitas intercedere visa est, ut eas ut coniungerem a me

[1] Versum duobus verbis suppletis ad sententiam recte sanavit Jebb. Ἰνάχου κόρᾳ coniecit Wilamowitz. Vult igitur Argi cædem finem imponere ærumnis Ius. Sed hoc fabula non admittit. Nam usque ad adventum in Aegyptum Io malis laborat.

[2] Val. Flaccus et Mythogr. Vat. ex Ovidio pendent.

impetrare nullo modo potuerim. Qua diversitate non satis perspecta cum editores, ut alteram fabulam alteri exæquarent, emendatiunculis adhibitis vel lacunis signatis vel versibus damnatis contextum depravaverint, poetæ sententiam ut recuperemus, separatim de singulis fabulis paullo longiore disquisitione opus erit. Qua in re a Supplicibus, quam fabulam priorem docuisse Aeschylum constat[1], initium capimus.

In Supplicibus Danai filias, cum ab Aegypto profugæ Argos venissent, se eo potissimum confugisse profiteri et ab Argivis ut hospitio acciperentur flagitare, quod ab Argiva Ione genus ducerent, quis est quin sciat? Quam originem ut Pelasgo, Argivorum regi, comprobarent, inde a versu 291[2] chorum inter et regem hic sermo instituitur:

ΧΟ. κληδοῦχον Ἥρας φασὶ δωμάτων ποτὲ
Ἰὼ γενέσθαι τῇδ' ἐν Ἀργείᾳ χθονί;
ΒΑ. ἦν ὡς μάλιστα, καὶ φάτις πολλὴ κρατεῖ.
ΧΟ. μὴ καὶ λόγος τις Ζῆνα μιχθῆναι βροτῷ;
ΒΑ. κἀκρυπτά γ' Ἥρας ταῦτα τἀμπαλάγματα.
ΧΟ. πῶς οὖν τελευτᾷ βασιλέων νείκη τάδε;
ΒΑ. βοῦν τὴν γυναῖκ' ἔθηκεν Ἀργεία θεός.
ΧΟ. οὔκουν πελάζει Ζεὺς ἐπ' εὐκραίρῳ βοΐ;
ΒΑ. φασίν, πρέποντα βουθόρῳ ταύρῳ δέμας.
ΧΟ. τί δῆτα πρὸς ταῦτ' ἄλοχος ἰσχυρὰ Διός;
ΒΑ. τὸν πάνθ' ὁρῶντα φύλακ' ἐπέστησεν βοΐ.

[1] Quæ contrariam in partem disputavit Weckleinius nihil valere, infra videbimus.

[2] Versus appinxi editionis Weilianæ.

XO. ποῖον πανόπτην οἰοβουκόλον λέγεις;
BA. Ἄργον, τὸν Ἑρμῆς παῖδα γῆς κατέκτανεν.
XO. τί οὖν ἔτευξεν ἄλλο δυσπότμῳ βοΐ;
BA. βοηλάτην μύωπα κινητήριον.
XO. οἶστρον καλοῦσιν αὐτὸν οἱ Νείλου πέλας.
BA. τοιγάρ[1] νιν ἐκ γῆς ἤλασεν μακρῷ δρόμῳ:
XO. καὶ[2] ταῦτ' ἔλεξας πάντα συγκόλλως ἐμοί.
BA. μὴ καὶ[3] Κάνωβον κἀπὶ Μέμφιν ἵκετο:
XO. καὶ Ζεύς γ' ἐφάπτωρ χειρὶ φιτύει γόνον.
BA. τίς οὖν ὁ Δῖος πόρτις εὔχεται βοός:
XO. Ἔπαφος ἀληθῶς ῥυσίων ἐπώνυμος. κτλ.

Io igitur Argivæ Iunonis sacerdos est, quam Iovem ipsum compressisse fama ferebat. Quod cum Iunonem non lateret, irata dea puellam, ut Propertii verba mea faciam, cornua habere iussit, quo facto Iuppiter tauri speciosi forma statim assumpta denuo in vaccam mutatæ virgini appropinquat.

Has alteras nuptias, quas Aeschylus solus diserte commemorat, ante oculos habuisse mihi quidem videtur Ovidius Amor. II: 19: 29

Dum servat Iuno mutatam cornibus Ion,
Factast, quam fuerat, gratior illa Iovi.

et paullo dilucidius Ars Amat. I: 323, ubi de Pasiphae agitur, quæ se amore cum tauro coniungere gestiebat:

Et modo se Europen fieri, modo postulat Ion,
Altera quod bos est, altera vecta bove.

---

[1] τῇ γάρ "illucne" coniecit Tucker.
[2] νaὶ correxit Tucker.
[3] Scripturam debemus Tuckero. Codices habent καὶ μήν.

Certiora testimonia si apud auctores frustra quærimus, contra artis monumenta satis idonea nobis perhibent. Nam verissime monuit Ernestus Maass l. c. p. XXIX adn. 2 ad hanc Supplicum fabulam spectare picturam illam vasis Cæretani figuris rubris artis severioris descripti, quod novissime editum est in Wiener Vorlegebl. 1890/91 Tab. XI: 1. In ea taurus vere speciosus conspicitur, iuxta quem Mercurius gladio stricto barbaque adversarii sinistra comprehensa custodem Iunonium totum oculeum aggreditur. Ante taurum regio ornatu in sella sedet vir barbatus, qui sinistra sceptrum tenens dextram sublatam fronti tauri admovet.

Repræsentat igitur pictura Argum a Mercurio occisum præsente et tauro et rege quodam, absente Ione. Taurum autem habendum esse Iovem, qui, ut apud Aeschylum fert memoria, in bovem mutatus est, dubium vix esse potest. Nam frustra obnituntur Schoeneus, qui primus vas edendum curavit in annalibus instituti archæologici 1865 p. 147 sqq. Tab. IK, atque Engelmannus[1] Overbeckius[2] alii, qui principis editoris asseclæ taurum pro vacca neglegentia quadam artificis depictum esse contendunt. Schoeneus[3] hoc sibi ideo persuaserat, quod

---

[1] L. l. p. 19 sq.
[2] K. M. Zeus p. 477 sq. Idem contra Maassium comprobare studuit Romanus Niestroj Observationes archæologicæ ad Aeschyli fabulas pertinentes p. 8. His omnibus nuperrime etiam Wernicke adstipulatus est Antike Denkmäler Zeus p. 61. Tafel VI: 1.
[3] L. l. p. 148. "Siffatta particolarità, che è priva affatto di ogni analogia nelle altre rappresentanze del mito, e della quale non danno notizia neppure gli antichi scrittori, che ne parlano, non può attribuirsi neppure alla imperizia del pittore, il quale tanto bene seppe caratterizzare tutte le altre figure".

neque apud auctores neque in monumentis ad taurum explicandum ullum invenire potuisset adiumentum. Unum autem dudum Ernestus Maass suppeditavit, ipse alterum adhibere posse confido. Quod vero Maassium refutantes ad Schoenei sententiam fulciendam protulerunt Engelmannus in lexico mythologico Roscheri s. v. Io et Romanus Niestroj l. c., veri simillimum vel necessarium esse "Argum custodem præsente Ione necari", optime redarguitur amphora illa Volcis reperta, olim Londinii in collectione "Hope" servata, quæ delineata est apud Panofkam Argos Panoptes Tab. III et apud Overbeckium K. M. Atlas Tab. VII: 12. Ibi enim Mercurium Argum interficientem cernimus, sed Io abest. Quare quoniam sententia eorum argumentis caret, ut artis monumento adhibito nostram stabiliamus, illud ipsum vas Clusinum, quod suam in partem vertit Engelmannus, consulere libet. Est catillus rubris figuris descriptus, quem editum habemus in actis archæologicis 1847 Tab. II et apud Overbeckium K. M. Atlas Tab. VII: 18. Ibi a tergo Mercurii, qui Argo mortiferam plagam infligit, non vaccam, ut Engelmannus vult, sed validum robustumque taurum cernimus, qui "acri cursu, cauda alte sublata scænam relinquit". Taurum esse ipse aspectus imaginis statim docet. Quid autem taurus sibi velit, nonne iam vides? In venerem ruens vaccam paullo ante solutam cursu petit. Iamiam etiam taurus e conspectu erit atque similem fere scænam ante oculos habebimus atque in amphora illa Volcensi iam allata, quæ Argum occisum Ione absente, præsente sene quodam sinistra manu baculum tenente

exprimit. Ita tantum in brevius contracta est scæna, quod deest vir ille, qui dextrum bracchium in Mercurium porrigens intentis oculis rem contemplatur. Quid vero? Nonne et in vasculo Cæretano funiculus ille, qui conspicitur in arbore, qua a sinistra parte pictura includitur, vaccam ad eam alligatam fuisse Mercuriumque ea demum soluta custodem adortum esse, te admonet? Neque sine certamine eam liberare Mercurio contigisse, ramulus ille defractus, quem iuxta truncum conspicimus, mihi quidem testis est.

Cur autem, iam quærat quispiam, immobilis et tranquillus hic restat taurus? Nimirum quoniam vir ille, qui ante eum sedet, ratione nescio qua eum detinet. Nam falso credo contendit Engelmannus l. l. p. 21, virum illum manu "Mercurium adhortari, ne truci vultu adversarii eiusque ferocitate deterritus de nece desistat, sed ut acriter instando intimideque percutiendo vaccam a custodia liberet" [1]. Credat Iudæus Apella, non ego! Prorsus nihil rei regi sedenti cum Mercurio atque Argi nece est, sed gestus ille sine dubio ad taurum solum spectat. Eatenus certe princeps editor rem recte dispexit. Atque rem ita se habere iam ipse status tauri dilucide demonstrat. Cum enim ceteris in monumentis a scæna aversus bos sit, hic ad ipsum regem conversus exstat. Neque dubitationem admittunt verba, quibus K. Masner de hac re disputat. Is enim, qui vas nostrum descripsit in libro, qui inscribitur Die Sammlung antiker Vasen und Terracotten im k. k. öster-

[1] Opinio Engelmanni ut fere semper Overbeckium assensorem adepta est.

reichischen Museum, ita verba facit p. 52: "Vor ihr — der in einen grossen Stier (sic!) verwandelten Io — sitzt auf einem mit Polster belegten Klappstuhl mit nach innen gewendeten Thierfüssen Zeus in ionischem Chiton und Mantel, r. Kranz im aufgenommenen Haare, mit der Linken das Scepter aufstützend, die Rechte beschwörend erhoben. *Dieselbe ist mit der Stirne des Thieres fast paralell und ihr viel näher als auf der unten angeführten, mangelhaft abgerollten Zeichnung.*"

Ex his, quæ breviter exposuimus, satis apparere puto gestum illum taurum spectare[1]. Iam vero in ipso viro nova difficultas exoritur. Quemnam eum dicamus? An Iovem esse prioribus interpretibus concedentes Argi necem præsente et Iove et tauro expressum esse cum Maassio facientes nobis persuasimus? His positis quid sibi velit gestus ille Iovis, equidem non assequor. Cum igitur neque hæc sententia nisi gestu illo ambigue explicato neque illa nisi pictori fide derogata stare possit, virum sedentem Iovem esse denegandum puto. Quis autem est? Id si exquirere volumus, primum nobis pervidendum est, quo pertineat inscriptio illa ΚΑΛΟΣ ΔΑΜΑ, quæ supra imaginem appicta est.

Engelmannus, cuius inventum plurimorum tulit assensum, ΚΑΛΟΣ ΔΑΜΑΣ "imagine prorsus neglecta"

[1] Non sine gaudio iam video Wernicke Antike Denkm. l. l., ubi novissime de hoc imagine egit, eandem sententiam amplecti. Cum autem in tauro explicando sine ulla dubitatione partibus Engelmanni accesserit, ei nihil reliqui fuit, quam ut Schoeneo adstipularetur gestum esse Iovis, quo vaccam sanare atque in hominis figuram mutare vellet.

legendum esse sibi persuasit. Quæ sententia ea potissimum nititur re, quod "ΔΑΜΑ ΚΑΛΟΣ etiam alibi inveniatur, litera vero Σ præcipue in fine verborum sæpius deleta sit." Alii ΗΙΠΠΟΔΑΜΑΣ proposuerunt[1], quod tamen vel ideo reiciendum est, quod quinque literis ante Δ locus non est. Constat enim inscriptionem re vera multo propius a fronte tauri abesse, quam e delineatione perspicitur. In testimonium voco verba Masneri l. l.: "unmittelbar an das Horn anschliessend ΔΑΜΑ". Engelmanni vero scriptura, quantumvis felicem eventum habuerit, nonnihil in se habet offensionis, quod inscriptiones amatoriæ, Lieblingsinschriften quæ germanice dicuntur, tantum non semper, quod sciam, vocabulum καλός post, non ante proprium nomen scriptum exhibent. Id etiam cadit in ipsam illam inscriptionem, qua opinionem suam confirmare studuit. Accedit quod verbum καλός ita supra bovem ascriptum est, ut vix fieri possit, quin ad ipsum taurum spectet. Hoc iam Schoeneus recte videns integram inscriptionis formam ΔΑΜΑΛΟΣ reconcinnare quamvis dubitanter temptavit, quam scripturam autem propterea reiciendam putavit, quod id vocabulum ante tertium nostri ævi sæculum apud scriptores non legeretur. Hoc autem nihil obstare nuperrime luculenter docuit Bacchylides, apud quem haud pauca invenimus vocabula, quæ serioris tantum ætatis auctorum testimoniis nitebantur. Exempla collegit Kenyon Introd. p. XLV adn. 2.

Recipiens igitur quod Schoeneus omisit utroque

[1] W. Klein Meistersign.[2] p. 162. Wernicke Lieblingsnamen p. 69.

verbo ad taurum relato ΚΑΛΟΣ ΔΑΜΑΛΟΣ vel potius ΔΑΜΑΛΗΣ, quæ altera vox iam apud Aristotelem exstat, legere velim. Hanc scripturam ut recipiam eo magis adducor, quod Io vacca apud auctores haud raro δάμαλις[1] vel δαμάλη[2] appellatur.

Verumenimvero quomodocumque hæc res se habet, ad nomen viri sedentis eruendum certe nihil valet inscriptio. Quam ob rem num alia pateat via nobis circumspiciendum est. Ansam fortasse præbet Nonnus Dion. III: 258 sqq., qui locus dignus videtur, quem integrum hic apponamus.

ἔστι πόλις κλυτὸν Ἄργος, ἐδέθλιον ἵππιον Ἥρης,
νήσου Τανταλίδαο μεσόμφαλος. ἐνθάδε κούρην
θηλυτόκοις ἔσπειρε γοναῖς εὐπάρθενον ἀνὴρ
Ἴναχος, Ἰναχίης ὀνομακλυτὸς ἀστὸς ἀρούρης,
νηοπόλος, καὶ φρικτὰ πολισσούχοιο θεαίνης
ὄργια βυσσοδόμευε θεηγόρα μύστιδι τέχνῃ
πρεσβυγενής· καὶ Ζῆνα, θεῶν πρόμον, ὄρχαμον ἄστρων,
γαμβρὸν ἔχειν ἀπέειπε. σέβας πεφυλαγμένος Ἥρης,
ταυροφυὴς ὅτε πόρτις, ἀμειβομένοιο προσώπου,
εἰς ἀγέλην ἄγραυλον ἐλαύνετο σύννομος Ἰὼ
καὶ δαμάλης ἄγρυπνον ἐθήκατο βουκόλον Ἥρη
ποικίλον, ἀπλανέεσσι κεκασμένον Ἄργον ὀπωπαῖς.
Ζηνὸς ὀπιπευτῆρα βοοκραίρων ὑμεναίων,
Ζηνὸς ἀθηήτοιο, καὶ ἐς νόμον ἤϊε κούρη,
ὀφθαλμοὺς τρομέουσα πολυγλήνοιο νομῆος.

[1] Bacchylides 19: 24. Lucian. passim.
[2] Nonnus Dion. III: 268.

Ut poeta igitur Iovem filiæ amatorem finxit aversantem Inachum, fidelem Argivæ Iunonis sacrorum custodem, ita vasis pictor sedentem regem manu taurum libidine stimulatum a vacca insequenda detinentem in scænam induxit, ut a vero non multum aberrasse mihi videar, si Ius patrem, sive Pirenis sive Inachi nomen ei indere volumus, in pictura nostra repræsentatum statuo. Quæ sententia haud leviter confirmatur alio vasculo collato, amphoram dico illam Londinensem Volcis repertam, quam iam sæpius attulimus. Nam in ea senex ille, qui innititur baculo, dextram versus Mercurium protendens eodem fere gestu atque Iuno in amphora illa attica supra p. 31 Nr II examinata Iovis nuntium a cæde Argi perpetranda revocat. Id certe mihi dabit quicumque mente non occupata ad imaginem explicandam accesserit[1]. Hinc quod sequitur, virum Iovem non esse, quippe qui ipse Mercurium ad Argum interficiendum allegaverit, eius rei si insuper testimonium invenitur, nihil deest argumentationi. Testimonium præbet baculus ille, quo innititur vir. Eum Iovi non convenire nemo non videt. Quod quamvis ingenue professi sint interpretes, Iovis nomen viro tribuere non dubitarunt. Quorum quod alter, Engel-

[1] In hanc sententiam iam princeps editor Panofka disputavit Argos Panoptes p. 95 sq.: "Es wird schwer zu entscheiden, ob diese Worte zum Morde anmahnen, oder davon abrathen . . . Wahrscheinlicher kommen sie wohlwollend dem Argos, und Schonung für ihn erbittend von einem Manne, welcher den Ort Nemea, wo Argos die Io weidete, als Demos zu vertreten bestimmt ist." Verum igitur tetigit, quamvis in vanam illam de loci deo opinionem, quæ eius temporibus grassabatur, aberraverit. Quam opinionem suo iure redarguit Overbeckius l. l.

mannus De Ione p. 22, cuius ex auctoritate hæc opinio pendet, vasculo Cæretano ad arbitrium explicato in hanc sententiam inductus est, alter, Overbeckius K. M. Zeus p. 479 satis futtili ratione[1], si ratio est, nisi de Iove cogitari non posse pro certo ponere non veritus est, uterque pari modo, id est ex præiudicata de gestu illo opinione, errat.

Omnis autem dubitatio, si qua adhuc inhærere potest, tolletur ex comparatione hydriæ illius ineditæ, de qua supra p. 32 Nr III fusius egimus. Ea enim figuram adeo nostræ consimilem exhibet, ut eundem utrubique expressum esse in dubium revocari nequeat. Eius autem sinistram sublatam vultumque stuporem exprimere vidimus. Quare cum etiam in hac imagine Iovem agnoscere velit Eugenius Petersen l. l., haud sine causa eum monemus stuporem minime Iovi convenire ad spectaculum, in quod oculos convertit. Accedit quod tota figura, quæ latus dextra manu comprehendens pede pedi transverso superimposito baculoque agresti nodosoque alæ sinistræ supposito paullo neglegentius sustinet artus, etiam ea maiestatis specie, quæ in amphora Londinensi viro abiudicari nequit, prorsus caret, ut vel ob

[1] Verba eius hæc sunt: "es wird sich niemals läugnen lassen, dass diese Figur ihrer ganzen Erscheinung nach am allerersten an Zeus erinnert, den auch Schöne und wenngleich zweifelnd, Engelmann annehmen, und der, Hermes zum Zuschlagen ermunternd, nicht ihm Einhalt gebietend, vollkommen in die Situation passt. Die einzige Schwierigkeit, welche dieser Namengebung entgegensteht, ist der Stock mit Krücke oder Haken, welchen anstatt des bei Zeus vorauszusetzenden Scepters diese Figur in der linken Hand hält und zu dem sich bei einem sichern Zeus wohl kaum ein wirkliches Analogon finden wird."

eam rem a Iove aliena mihi videatur. Quod si Inachum Iunonis templi custodem agnoscere volumus, hæc omnia facillime explicari, vel maxime incredulis approbari posse confido.

Quæ si vere disputata sunt, tres imagines iam examinatas eundem repræsentare apparet, quem in nomine nullo modo hærens Inachum vel Pirenen dico.

Sed hæc quidem hactenus. Iam ad reliquam narrationem pergamus. Cum igitur ne transformatione quidem virginis, quin Iuppiter cum ea congrederetur, Iuno impedire posset, ne iterum fieret ut prohiberet, custodem, qui omnia videre posset, Argum Terræ filium vaccæ addidit. Qua re tamen dea haud multum profecit, nam, ut est apud Ovidium Amor. II: 2: 45 sq.

Dum nimium servat custos Iunonius Ion
Ante suos annos occidit.

Nam cum Argis ἐν λειμῶνι βουχίλῳ — canit chorus v. 538 sqq.

παλαιὸν δ' εἰς ἴχνος μετέσταν
μάτερος ἀνθονόμους ἐπωπάς,
λειμῶνα βούχιλον, ἔνθεν Ἰὼ
οἴστρῳ ἐρεσσομένα
φεύγει ἁμαρτίνοος κτλ.

et Epaphum vindicem invocat v. 49 sq. ἐν ποιονόμοις ματρὸς ἀρχαίας τόποις, ad quæ scholiasta: ἐν Ἄργει, οὗ ἐνέμετο ἡ Ἰώ. — vacca ab Argo inspicitur, Mercurius a patre immissus subito eum interemit. Quo facto eo maiore ira in pelicem commota

Inachiæ Iuno pestem meditata iuvencæ
novum suscitat monstrum, cui nomen asilo

Romanum est, oestrum Grai vertere vocantes. Qua formidine percussa misera vacca μαινομένα πόνοις ἀτίμοις ὀδύναις τε κεντροδαλήτισι θυιὰς Ἥρας (v. 562) acri cursu per terras errat, donec in Aegyptum ad Nilum pervenit. Hic tandem Iuppiter horribiles, quas uxor in eam exercuerat, iras præcidit. Cuius rei luculentissima habemus testimonia v. 571 sq.

καὶ τότε δὴ τίς ἦν ὁ θέλξας πολύπλαγκτον ἀθλίαν
οἰστροδόνητον Ἰώ;

v. 586 sqq. τίς γὰρ ἂν κατέπαυσεν Ἥ-
ρας νόσους ἐπιβούλους;
Διὸς τόδ' ἔργον.

et v. 1065 sqq. Ζεὺς . . . . ὅσπερ Ἰὼ
πημονᾶς ἐλύσατ' εὖ
χειρὶ παιωνίᾳ κατασχεθών.
εὐμενῆ βίᾳ κτίσας.

Diuturni igitur erroris fine facta menteque vaccæ reddita ibi tandem Iuppiter adamatam, quam uxor tam diu ei denegarat, manu iniecta suam sibi vindicat desideriumque suum explet. Fetuque ex Iove suscepto Io peperit filium, qui ἀληθῶς ῥυσίων ἐπώνυμος Epaphus nominatur, ex quo Danai filiæ se oriundas profitebantur.

In hac Supplicum fabulæ narratione, quam paucis adumbrare conati sumus, in primis premendæ sunt triplices illæ Iovis cum Ione nuptiæ, quarum Iuno memori semper ira in omnes mulieres commota, quas Iuppiter amore dignatus erat, iteratas poenas exigit, donec in Aegypto victa de ira cedere coacta est. Quas nuptias editores mirum in modum despicientes in erro-

res inducti codicum memoriam vel laceram vel insiticiis versibus inquinatam putantes alii aliis modis ut sanarent operam dederunt. Quos omnes refutare longum est; uno cum Ernesto Maass nobis agendum est, qui novissimus peculiari illo libello iam sexcenties a nobis citato hac de fabula præclaro acumine et maiore doctrina, quam ut a nobis laudetur, disputavit. Nam doctissimus ille vir nuptias in Aegypto factas apprime vehementer negat in eo præcipue nitens, quod iam Argis bis Io usus est Iuppiter, "ut gravida facta terrarum per orbem longinquo itinere et diuturno erravisse censenda sit necessario, ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιαι εὐναὶ ἀθανάτων teste ipso Neptuno λ 249. Quodsi paritura Io in Aegyptum pervenit, iteratæ Iovis cum gravida nuptiæ nec fingi serio nec tolerari ullo pacto possunt." [1] Hanc ob causam e dialogo illo regem inter et Danai filias versum 312 extrudere vult, præsertim cum et id offensionis habeat, quod dialogi stichomythiam interrumpat.

Quæ sententia ne stare non possit vereor. Quod enim primum ad stichomythiam interruptam attinet, id argumentum nihili esse iam ex ea ratione, qua supra Tuckerum [2] secuti dialogum dedimus, nemo non videt. Atque totum dialogum, in quo restituendo mirum quantum editores nullo fructu desudarunt, ita disponendum esse ut credam, iam ea re adducor, quod codicum memoria immutata aptissime procedit diverbium optimeque coeunt omnia. Et singula si spectas, versum 295 regi dari non posse, id quod iam Weilius vidit, inde

[1] L. l. p. IV.
[2] The Supplices of Aeschylus by T. G. Tucker. London 1889.

merito colligitur, quod nec μή interrogativum hic locum habet, nec veri simile videtur regem, qui Ionem utique fuisse Iunonis sacerdotem multamque eius rei famam obtinere affirmavit, recenti negotio quasi se ipsum reprimentem addere μὴ καὶ λόγος τις e. q. s. Ne enim Weckleinii aliorum vestigiis insistens me obiicias, regem ita interrogare "περὶ γνωστῶν αὐτῷ πραγμάτων θέλοντα νὰ δοκιμάσῃ τὴν ἀλήθειαν τῶν λόγων τοῦ χοροῦ, εἰπόντος ὅτι κατάγεται ἐκ τοῦ Ἄργους."[1] Nam sane ridiculum in modum inquirentis partibus defungitur rex, qui ne minime quidem incredulus puellis quæ respondeant ipse pæne subiicit. Præter ceteros in testimonium voco versus 300 et 306. Contra omnia tantum non clamant nullo modo de inquisitione quadam hoc loco agi. Colloquium est, quo Danaides regem de proaviæ fatis admonentes originem suam ei comprobant. Ipse rex, quatenus illa comperta habet, interrogantibus puellis benigne respondet, deinde autem ut de Ius in Aegypto eventibus "utpote in terra longinqua" ei non satis cognitis edoceatur, ipse studio elatus interrogantis partes suscipit. Ita ex optato διδαχθεὶς fit de Argiva puellarum origine. Conferas præterea Tuckerum ad hunc locum.

Si autem versus 295 choro tribuendus est, quo modo ceteroquin per stichomythiam disponendum sit diverbium, dubium esse nequit. Cur enim lacunas signemus, ne minima quidem subest causa, quoniam ad sententiam prorsus nihil deest. Quæ contrariam in partem disputavit Weckleinius, nugæ sunt. Denique, ut nihil prætermittam, legentes admoneo momentum

[1] Adnot. in v. 300 ed. Zograph.

etiam facere, quod versus 308 nisi chori in ore intelligi non potest.

Tantum igitur abest, ut versus ille 312, ex quo profecti sumus, interrumpat stichomythiam, ut non videam quonam modo nisi et ea perturbata et læsa sententia abesse possit. Quo demonstrato proximum est quærere, num ipsum argumentum fabulæ, quod versum deformare contendit Maassius, eum respuat. Hoc ut extricemus, ea, quæ scripsit ipse poeta, diligenter pensitare et examinare necesse est. Nam Homericum illud testimonium, quo nititur doctissimus ille vir, per se vix tantum valere, ut quasi fundamentum totius disquisitionis in eo ponere liceat, mihi sine dubio concedes. Mecum igitur consideres Aeschylum fabulam nostram ita exposuisse, ut ipse cardo rerum in Iovis cum uxore certamine versetur. Singula post furta mariti Iunonem novo malo pelicem cruciantem finxit, quare post iteratas demum nuptias Argum vaccam custodientem induxit. Quod poetam ipsum novasse mihi persuasissimum est[1].

Quidquid autem cavet uxor coniugi invidiosa, victor abiens Iuppiter facili negotio id quod voluit assecutus est. Denique cum quasi victam se iam professa iræ tantum ac dolori indulgens vaccam errabundam et vesanam oestro immisso vexare perseverat, etiam hoc

[1] Aeschyli exemplum hac in re duxit Lucianum Dial. Deor. III, ubi Iuppiter ipse rem Mercurio ita exponit: ζηλοτυπήσασα ἡ Ἥρα μετέβαλεν αὐτήν — τὴν τοῦ Ἰνάχου παῖδα — καὶ νῦν ἄλλο τι δεινὸν ἐπιμεμηχάνηται τῇ κακοδαίμονι· βουκόλον τινὰ πολυόμματον Ἄργον τοὔνομα ἐπέστησεν, ὃς νέμει τὴν δάμαλιν ἄϋπνος ὤν.

cruciatu liberata apud Aegyptios Io haud dubie in manum Iovis convenit. Nonne et tum nihilo secius vel potius etiam magis quam antea id ipsum transactum esse, de quo tota contentio fuerat, ipsa rerum ratio necessario flagitat? Probe enim tenendum est Aeschylum nullo loco usum esse verbis, ex quibus cogi possit Iovem in Aegypto desiderium suum exuisse Iunonemque blandis verbis iure iurandoque coniugis delenitam a pelice persequenda destitisse. Ovidius quidem rem ita sibi finxit, sed hoc Aeschyleum non est. Aeschylus contra et deorum reginam fati necessitati subiectam facit, nam ἐπωνυμίᾳ δ' ἐπεκραίνετο μόρσιμος αἰών, εὐλόγως Ἔπαφόν τε ἐγέννασεν sc. ἡ βοῦς, id est, fatalis implebatur vita verumque Epaphum vacca in lucem edidit[1]. Fata igitur secundum hanc Aeschyleam memoriam tulerant Epaphum ex Ione oriturum esse, quare Iuno frustra obnititur.

Huc accedit quod, me si audias, nuptias apud Aegyptios poeta ipse quamvis breviter et subobscure indicat. Ne enim de versibus 580 sq.

λαβοῦσα δ' ἕρμα Δῖον ἀψευδεῖ λόγῳ
γείνατο παῖδ' ἀμεμφῆ

loquar, quæ verba in eam sententiam trahi posse, "ut Io infantem reapse ab ipso Iove conceptum antea — in

[1] Difficillimos versus recte intellexisse mihi videtur Tuckerus, qui allato loco Aristoteleo Cæl. 9: 15 αἰών· τὸ τέλος τὸ περιέχον τὸν τῆς ἑκάστου ζωῆς χρόνον verba illa μόρσιμος αἰών ad hunc modum explicat: "a life, a living being, of such sort as the fates allowed was being brought to accomplishment." Eandem fere interpretandi viam iam ante Tuckerum Weilius ingressus est.

patria nimirum — apud Aegyptios peperisse dicatur"[1], non infitior, quamquam ea ita accipi debere nequaquam credo, hoc innui mihi videtur duobus illis locis, vv. 576, 1069, ubi Iuppiter Ius mala in Aegypto βίᾳ et ἀπημάντῳ σθένει sistere dicitur. Quibus de versibus, cum et obscure comparati et addubitatæ fidei sint, diversissimas in partes abierunt virorum doctorum iudicia neque a me eos recte intellectos esse affirmo, sed haud scio an Tuckerus, quamquam ceteroquin iudicium meum ab eius segrego, et hic verum viderit. Is enim ad vocem βίᾳ explicandam in memoriam revocat locutionem illam βιάζεσθαι γυναῖκα. Certe quonam pacto divinæ manus contagione, ita fere Maassius, humanam formam vaccæ reddere, vim licet benevolam ei afferre dici possit, equidem non assequor. Et quod gravissimum est, nullus Supplicum fabulam perlustranti occurrit locus, quo Ionem humanam formam recuperasse demonstretur. In describenda Ione laboribus exsoluta poeta et de insania et de errore verba facit, nusquam autem de transformatione corporis verbum ullum dicitur. Sunt quidem, qui hanc

[1] Hæc est sententia Maassii l. l. p. V. Atque ita fabulam etiam rettulit Lucianus, qui Dial. Mar. VII Zephyrum Notumque de Io vacca, quam Mercurius per mare in Aegyptum ducit, hunc in modum colloquentes facit: N. ταύτην, ὦ Ζέφυρε, τὴν δάμαλιν, ἣν διὰ τοῦ πελάγους ἐς Αἴγυπτον ὁ Ἑρμῆς ἄγει, ὁ Ζεὺς διεκόρευσεν ἁλοὺς ἔρωτι; Ζ. ναί, ὦ Νότε· οὐ δάμαλις δὲ τότε ἀλλὰ παῖς ἦν τοῦ ποταμοῦ Ἰνάχου· νῦν δὲ ἡ Ἥρα τοιαύτην ἐποίησεν αὐτὴν ζηλοτυπήσασα, ὅτι καὶ πάνυ ἑώρα ἐρῶντα τὸν Δία. Ν. νῦν οὖν ἔτι ἐρᾷ τῆς βοός; Ζ. καὶ μάλα, καὶ διὰ τοῦτο ἐς Αἴγυπτον αὐτὴν ἔπεμψε καὶ ἡμῖν προσέταξε μὴ κυμαίνειν τὴν θάλατταν ἔστ' ἂν διανήξηται ὡς ἀποτεκοῦσα ἐκεῖ — κυεῖ γὰρ ἤδη — θεὸς γένοιτο καὶ αὐτὴ καὶ τὸ τεχθέν. Eodem modo, id quod gravius est, rem persecutus esse videtur Bacchylides v. 40 sq.

sententiam Aeschylo obtruserint, v. 1067 καταστροφάν pro κατασχεθών, quod codices habent, scribendum esse contendentes magis quam demonstrantes. Quid vero est, obsecro, cur codicum memoriæ fidem derogemus, modo nullo præiudicio imbuti ad eam aggrediamur? Si enim vocabulum κατασχεθών cum iis, quæ præcedunt, coniungimus, id quod iam Schütziis monuit faciendum esse, omnia ni prorsus fallor bene se excipiunt hunc in modum:

Ἰὼ πημονᾶς ἐλύσατ' εὖ
χειρὶ παιωνίᾳ κατασχεθών.
εὐμενεῖ βίᾳ κτίσας.

κατασχεθών igitur idem fere est ac παύσας αὐτήν et poeta hoc loco nihil aliud dixit nisi Iovem sanantis manus contrectatione vesanæ vaccæ mentem reddidisse errorumque eius finem fecisse. Nam error et insania, quarum rerum altera ab altera segregari non potest[1], νόσοι ἐπίβουλοι Ἥρας existimandi sunt, quos Iuppiter κατέπαυσεν (v. 586 sq.). Atque ipsi liberationi Ius hoc loco plurimum tribuendum esse, ipsum argumentum rerum docet. Implorant enim chori puellæ Iovem, ut ipsas a patruelium matrimonio vindicet, quippe qui proaviam miseriis liberasset.

Neque melius alterum procedit testimonium, quo transformationem corporis demonstrari posse opinati

[1] Ipse βοηλάτης μύωψ ille, quem oestrum Aegyptii vocant, fuit, qui vaccam quasi vecordia exagitatam in errores ageret. Cfr v. 540 sqq. ἔνθεν Ἰὼ οἴστρῳ ἐρεσσομένα φεύγει ἁμαρτίνοος, πολλὰ βροτῶν διαμειβομένα φῦλα κτλ.

sunt. Ita enim accipienda esse crediderunt verba illa v. 578

δακρύων δ' ἀποστάζει πένθιμον αἰδῶ

cum lacrimas fundere hominis, non bestiæ sit. Quod ut refutemus, satis sit adhibere Ovidium, qui Met. I: 641 sqq. vaccam nondum mente captam patri atque sororibus quæ sit aperientem his verbis induxit:

Naides ignorant, ignorat et Inachus ipse,
quæ sit: at illa patrem sequitur sequiturque sorores
et patitur tangi seque admirantibus offert.
Decerptas senior porrexerat Inachus herbas:
illa manus lambit patriisque dat oscula palmis
nec retinet lacrimas et, si modo verba sequantur,
oret opem nomenque suum casusque loquatur.

Mentis igitur compos facta vacca graves casus suos deplorat, quod iam scholiasta ad versum illum ascribens ἐννοοῦσα ὃ πέπονθεν recte dispexisse mihi videtur.

Quodsi poeta vaccam in Aegypto humanam formam recuperasse nusquam diserte statuit, non est cur talem transformationem ei imputemus. Nam Epaphum, Ius filium, ubique totius Supplicum fabulæ Apin Aegyptiorum esse in aperto est. Id sibi persuasum habebat Aeschylus, qui hanc fabulam cum scriberet quæ antiquitus tradita erant pie religioseque accepit. Apis autem ex bove nascitur. Nonne igitur etiam Ionem vaccæ sub forma Epaphum peperisse nostrum putasse iam per se vero proximum videtur?

Quibus expeditis ad alia et graviora patet iter. Filius Ius unde nomen traxerit optime edocemur v. 314, ubi disertis verbis dicitur Ἔπαφος ἀληθῶς ῥυσίων ἐπώ-

νομος. Hæc ῥύσια quæ sint collatis aliis Supplicum locis optime efficitur. Versu 727 sq. Danaus chorum præmonet

ἴσως γὰρ ἂν κῆρυξ τις ἢ πρέσβυς μόλοι,
ἄγειν θέλοντες ῥυσίων ἐφάπτορες

et v. 412 Argivorum rex sibi etiam cavendum esse profitetur

καὶ μήτε δῆρις ῥυσίων ἐφάψεται.

His ex locis Aeschyleis apparet ῥυσίων ἐφάπτεσθαι idem valere ac sibi asserere aliquid eumque ῥυσίων ἐφάπτορα dici, qui alieno cuidam, ut suum sibi vindicet, manus affert[1]. Quare cum Danai filiæ ut proaviæ gloriam instauret Iovem invocantes conclamant v. 535

γενοῦ πολυμνᾶστορ ἔφαπτορ Ἰοῦς

præludere mihi videntur ad ipsam illam sanantis manus contrectationem, qua eum Ionem ab uxore acerbissime vexatam in libertatem asseruisse suamque sibi vindicasse supra statuimus. Hæc igitur ῥύσια illa sunt, ex quibus Epaphus vere denominatus est filius. Eum autem ex ipsa liberatione matris denominatum esse, vix alia ratione probabiliter expediri posse videtur, nisi ut procreatio quædam cum ea connexa fuerit. Neque eius rei desunt argumenta. Et ipsa rerum ratione et definito scriptoris testimonio hanc opinionem insigniter confirmari iam vidimus. Licet enim verba illa v. 1068

εὐμενεῖ βίᾳ κτίσας

[1] Conferas quæ de hac re docte et sagaciter disputavit Maassius l. l. p. IX.

quod ad structuram attinet implicata sint difficultatibus, quas me nequaquam pro certo dissolvere posse ingenue fateor, ad sententiam tamen haud dubie verum assecutus est Schützius hanc interpretationem proferens: *benevola vi genus nostrum condidit*[1]. Quod si quis κατάσχετον vel ἐλευθέραν subaudire mavult, ne ita quidem argumentatio mea infringitur.

Quæ cum ita sint, satis demonstrasse mihi videor, non esse cur ut argumentum fabulæ deformantem uncis includamus versum, qui disertis verbis proloquitur quod et ceteroquin haud obscure innuitur, nempe Iovem etiam in Aegypto cum vacca congressum esse. Atqui, ut tandem aliquando longas post ambages unde profecti sumus revertamur, post ea, quæ iam disputavimus, dubium esse vix possit, quem in modum accipiendus sit versus ille, de quo agitur, 312

καὶ Ζεύς γ' ἐφάπτωρ χειρὶ φιτύει γόνον.

Nimirum verba illa ἐφάπτωρ χειρί — id quod verbo memorasse satis est — ad ipsam liberationem Ius spectant totumque versum ita fere interpretari velim: *Atque Iuppiter eam manu iniecta in libertatem asserens procreavit progeniem.*

Ne quis autem obiiciat repugnare quæ ceteris locis Supplicum fabulæ de procreatione Epaphi commemorantur. V. 17 sqq. chorus ipse se glorians appellat

[1] Ad hanc Schützii interpretationem communiendam, si quid video, valet versus 171 sq., ubi Danaides appellant Epaphum παῖδα, τὸν αὐτός — scilicet ὁ Ζεύς — ποτ' ἔκτισεν γόνῳ.

γένος τῆς οἰστροδόνου
βοὸς ἐξ ἐπαφῆς κἀξ ἐπιπνοίας
Διός

quibus verbis puellas genus suum procreatione quadam
ex bove a Iove adamata oriundum esse dicere voluisse
facile intelligitur. Nam inter ἐπαφήν et ἐπίπνοιαν ita
distinguendum esse, ut ἐπαφή divinæ manus contagio
sit, qua in humanam formam redacta, afflantis dei con-
tagio ἐπίπνοια, qua sanata sit virgo, iam ob eam rem
Maassio condonare non possumus, quod Ionem huma-
nam formam omnino non recuperasse nobis persuasimus.
Et ne si falsa quidem hæc opinio nostra esset, ratio-
cinatio eius valeret. Vereor enim, ne meras philo-
sophicas rationes poetæ imputare huius modi distinctio
habenda sit. Atque grammaticam rationem si spectes,
ἐπαφή καὶ ἐπίπνοια idem valere atque ἐπαφὴ ἐπιπνέουσα,
substantivo pro adiectivo supposito, nemo credo nega-
bit. ἐπιπνεῖν, εἰσπνεῖν, πνεῖν autem frequenter de re ama-
toria usurpari satis constat. Cuius rei editores, quos
ipse adeas, exempla luculenter congesserunt. ἐξ ἐπαφῆς
κἀξ ἐπιπνοίας igitur idem esse mihi videtur atque ἐξ
ἐπαφῆς ἐρωτικῆς. Quocum optime congruit, quod
Epaphus ἐξ ἐπιπνοίας Ζηνὸς ἔφαψις appellatur v. 45 [1].
Abunde hæc dicendi ratio etiam demonstratur v. 576 sq.,
ubi θεῖαι ἐπίπνοιαι coniunguntur cum ἀπημάντῳ σθένει,
quæ locutio ad illud εὐμενεῖ βίᾳ respondere omnes edi-
tores viderunt.

[1] Rectissime igitur, ut mea quidem fert opinio, huic versui appinxit scholiasta ἐξ ἐρωτικῆς διαθέσεως.

Atque verbo ἐπαφῇ poetam verum coitum significare potuisse non negabunt, qui memoria tenent eroticum illud fragmentum Papyr. Grenfell Nr 1, ubi eodem ipso sensu dicitur χρωτίζεσθαι, quod χροΐζεσθαι, ἐν χρῷ συνεῖναι explicant [1]. Neque cur per ambages locutus sit Aeschylus in obscuro est. Aegypticam nimirum traditionem respicere voluit, quam secundum Apis-Epaphus ἐπαφῇ proprie dicta procreatus est [2]. Quod ut statuam eo magis permoveor, quod Supplicum in fabula etiam alia exstat res, de qua sibi non satis constans fuisse videtur poeta. Quamquam enim priore in fabulæ parte Io in vaccam transformatam esse disertis verbis statuit, tamen nihilo minus adventum eius in Aegyptum describens Danaidum chorum ita canentem facit v. 564 sqq.:

βροτοὶ δ', οἳ γᾶς τότ' ἦσαν ἔννομοι,
χλωρῷ δείματι θυμὸν
πάλλοντ' ὄψιν ἀήθη,
μιξόμβροτον ἐσορῶντι δυσχερὲς βοτόν,
τὰν μὲν βοός, τὰν δ' αὖ γυναι-
κός· τέρας δ' ἐθάμβουν.

Quæ antea igitur mera genuinaque vacca fuit, quacum ut congrederetur tauri formam induere Iovi necesse fuit, nunc monstrum ex humano et beluino corpore

[1] Confer H. Weil Revue des Études Grecques IX p. 173. Eodem ipso modo "tangere", "contingere" apud Romanos adhibentur.

[2] Plutarch Moral. p. 718 τὸν Ἆπιν λοχεύεσθαί φασιν ἐπαφῇ τῆς Σελήνης. Herod. III: 28 ὁ δὲ Ἆπις οὗτος ὁ Ἔπαφος γίνεται μόσχος ἐκ βοός .... Αἰγύπτιοι δὲ λέγουσι σέλας ἐπὶ τὴν βοῦν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατίσχειν, καί μιν ἐκ τούτου τίκτειν τὸν Ἆπιν.

commixtum inducitur. Hanc inconstantiam nonne inde proclive est explicare, quod quæ apud Argivos de Ione tradebantur atque quæ de Aegyptiacæ Isidis figura cognita habebat ut in unum conflaret, quamvis religiose studuerit, poetæ non satis contigit? Nam locutione illa μιξόμβροτον βοτόν Isin, deam Aegyptiorum, cuius imaginem feminæ sub specie bovino capite imposito sæpissime effingunt, significari iam non est quod moneam. Bis igitur eadem de causa, ut fabulas ex diversis fontibus, Græco scilicet et barbaro, exhaustas consueret poeta, perpaullum claudicat narratio.

Hæc habui de Supplicum fabula quæ dicerem. Iam ad Prometheum Vinctum festinemus, ut quam longe aliter fabulam nostram ibi retractaverit poeta cognoscamus. Quo facto quænam ratio inter Aeschyleam heroicamque intercedat memoriam, perpaucis disquirere conabimur.

In Prometheo fabula Ionem ipsam in scænam produxit poeta eamquæ ipsam eventus suos ex parte enarrantem fecit. Longinquis enim per orbem terrarum erroribus exercitata etiam Titana, qui ad vastam Scythiæ in oris rupem affixus erat, adiit. Qui cum eam consalutavit verbis, quibus se eam agnoscere totamque historiam eius penitus cognitam habere ostendit, Io unde hæc sciat mirabunda ab eo petit, ut quinam sibi laborum finis futurus sit aperiat. Quæ cum roganti virgini se exponere velle iam benigne professus esset Prometheus, Oceani filiæ eum interpellantes Io-

nem provocant, ut ipsa ærumnarum causas infortuniaque, quæ iam pertulerat, antea recenseat, quare Io se quamvis pudore erubescentem omnia quæ scire vellent aperte atque ingenue propondituram pollicita inde a versu 645 hunc in modum verba facit:

ἀεὶ γὰρ ὄψεις ἔννυχοι πωλεύμεναι
ἐς παρθενῶνας τοὺς ἐμοὺς παρηγόρουν
λείοισι μύθοις "ὦ μέγ' εὔδαιμον κόρη,
τί παρθενεύει δαρόν, ἐξόν σοι γάμου
τυχεῖν μεγίστου; Ζεὺς γὰρ ἱμέρου βέλει
πρὸς σοῦ τέθαλπται καὶ συναίρεσθαι Κύπριν
θέλει· σὺ δ', ὦ παῖ, μὴ 'πολακτίσῃς λέχος
τὸ Ζηνός, ἀλλ' ἔξελθε πρὸς Λέρνης βαθὺν
λειμῶνα, ποίμνας βουστάσεις τε πρὸς πατρός,
ὡς ἂν τὸ Δῖον ὄμμα λωφήσῃ πόθου".
τοιοῖσδε πάσας εὐφρόνας ὀνείρασιν
συνειχόμην δύστηνος, ἔστε δὴ πατρὶ
ἔτλην γεγωνεῖν νυκτίφοιτα φάσματα.
ὁ δ' ἔς τε Πυθὼ κἀπὶ Δωδώνης πυκνοὺς
θεοπρόπους ἴαλλεν, ὡς μάθοι τί χρὴ
δρῶντ' ἢ λέγοντα δαίμοσιν πράσσειν φίλα.
ἧκον δ' ἀναγγέλλοντες αἰολοστόμους
χρησμοὺς ἀσήμους δυσκρίτως τ' εἰρημένους.
τέλος δ' ἐναργὴς βάξις ἦλθεν Ἰνάχῳ
σαφῶς ἐπισκήπτουσα καὶ μυθουμένη
ἔξω δόμων τε καὶ πάτρας ὠθεῖν ἐμέ,
ἄφετον ἀλᾶσθαι γῆς ἐπ' ἐσχάτοις ὅροις·
κεἰ μὴ θέλοι, πυρωπὸν ἐκ Διὸς μολεῖν
κεραυνόν, ὃς πᾶν ἐξαϊστώσοι γένος.
τοιοῖσδε πεισθεὶς Λοξίου μαντεύμασιν

ἐξήλασέν με κἀπέκλῃσε δωμάτων,
ἄκουσαν ἄκων· ἀλλ' ἐπηνάγκαζέ νιν
Διὸς χαλινὸς πρὸς βίαν πράσσειν τάδε.
εὐθὺς δὲ μορφὴ καὶ φρένες διάστροφοι
ἦσαν, κεράστις δ', ὡς ὁρᾶτ' ὀξυστόμῳ
μύωπι χρισθεῖσ' ἐμμανεῖ σκιρτήματι
ᾖσσον πρὸς εὔποτόν τε Κερχνείας ῥέος
Λέρνης τε κρήνην· βουκόλος δὲ γηγενὴς
ἄκρατος ὀργὴν Ἄργος ὡμάρτει, πυκνοῖς
ὄσσοις δεδορκὼς τοὺς ἐμοὺς κατὰ στίβους.
ἀπροσδόκητος δ' αὐτὸν ἐξαίφνης μόρος
τοῦ ζῆν ἀπεστέρησεν. οἰστροπλὴξ δ' ἐγὼ
μάστιγι θείᾳ γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι.
κλύεις τὰ πραχθέντ'.

Huius narrationis ipsa stamina paucis si componimus, hæc sunt. Ioni Inachi fluminis [1] eiusdem regis filiæ identidem nocturna obversantur somnia, quibus admonetur virgo, ut in Lernæum pratum se conferat desiderioque satisfaciat Iovis, quippe qui amore eius depereat. Quibus monitis spretis cum iterum atque iterum iisdem sollicitetur insomniis, metu perculsa denique patrem adiit, qui et Dodonam et Delphos sæpius misit, qui oraculum consulerent, quid facientes vel nuncupantes deos placare possent. Multis et ambiguis oraculis editis Apollo demum diserte Inacho præcepit, ut filiam domo patriaque expelleret, ut libera et soluta usque ad extremos terræ fines evagaretur; quod nisi faceret, ignem ex cælo domum eius corrupturum totamque gentem funditus

[1] κασίγνηται πατρὸς Ius appellantur filiæ Oceani v. 636.

extinctam iri. Cui dei iusso quamvis ægre obsecutus cum procul a domo filiam relegavit pater, statim eodem tempore humana specie exuta atque mente capta Io oestri aculeis vexata ad Lernæ fontem furibundis saltibus proruit. Qua in fuga vestigiis eam consequitur Argus custos e Terra genitus, cui oculi undique refulgebant. Abripitur quidem subita morte atrox agitator, sed ne mortuus quidem miseram virginem lacessere destitit. Nam diram imaginem eius [1] vestigia sua usque prementem cernere sibi videtur, quo fit, ut furiis concitata per terras fugiat.

Hæc postquam Oceanidum voluntati parens Io ipsa enarravit, Prometheus promissum suum exsolvens longam viam, quæ ei usque ad Aegyptum emetienda sit, apprime diligenter describit. Quæ omnia cum neque ad fabulam melius cognoscendam quicquam valeant, neque ad claram geographicam errorum imaginem delineandam utilitatem ex iis capere mihi videar, hoc loco missa facio. Eo magis quæ hic ascribantur diligenterque percenseantur digna sunt verba, quibus Prometheus fata Ius post adventum in Aegyptum depingit inde a versu 846:

ἔστιν πόλις Κάνωβος ἐσχάτη χθονός,
Νείλου πρὸς αὐτῷ στόματι καὶ προσχώματι·
ἐνταῦθα δή σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα
ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ καὶ θιγὼν μόνον.

[1] V. 566 sq.

χρίει τις αὖ με τὰν τάλαιναν οἶστρος,
εἴδωλον Ἄργου γηγενοῦς.

ἐπώνυμον δὲ τῶν Διὸς γεννημάτων
τέξεις κελαινὸν Ἔπαφον, ὃς καρπώσεται
ὅσην πλατύρρους Νεῖλος ἀρδεύει χθόνα.

Vaticinantis igitur in modum fata canens Prometheus ad Nili demum ostia finem adesse miseriis Ioni portendit. Ibi enim Iovem placida manu contrectando tangendoque tantum eam in pristinam mentis sanitatem restituturum esse fetuque ex Iove suscepto eam Epaphum nomine ex ipso generationis modo derivato in lucem esse edituram.

His fere adumbraverim Promethei fabulæ, quæ ad Ionem pertinet, partem. Quanta in hisce a Supplicum fabula discrepantia! Ius historiam cum Prometheo componens quæ in Supplicibus exposuit, hic ita aliter informavit poeta, ut eum hæc si non ipsum certo de consilio finxisse at tamen plane ex alio fonte hausisse vel obiter fabulam percurrentes fallere nequeat. Atque omnium primum tenendum est eum rem ita instituisse, ut Iuppiter nuptiis in Argis ne verbo quidem commemoratis in Aegypto demum Ione frueretur.

Contenderunt quidem inde a Welckeri[1] memoria Aeschyli interpretes ad unum fere omnes rem re vera eadem ipsa atque in Supplicibus ratione cessisse, Ionem vero, utpote quæ ipsa iubenti choro calamitatis initium exponeret, virginali quodam pudore impeditam nuptias, ipsas transformationis corporis errorumque causas, silentio præterisse. Qua in sententia licet ac-

[1] Götterlehre II p. 256.

quieverint doctissimi viri[1], tamen facere non possum quin rem in dubium vocem. Prorsus contra Ionem nihil, quod subaudiendum sit, reticuisse intactamque usque ad Aegyptum pervenisse luce clarius mihi videtur. Causas habeo hasce.

Primum quidem a minoribus ut incipiam, Io ipsa nuntii fere modo accuratam calamitatis suæ narrationem instituens se quamvis pudore erubescentem omnia quæ erat perpessa aperte atque ingenue esse persecuturam diserte choro promittit his verbis v. 640 sqq.

οὐκ οἶδ' ὅπως ὑμῖν ἀπιστῆσαί με χρή,
σαφεῖ δὲ μύθῳ πᾶν ὅπερ προσχρῄζετε
πεύσεσθε· καίτοι καὶ λέγουσ' αἰσχύνομαι
θεόσσυτον χειμῶνα καὶ διαφθορὰν
μορφῆς, ὅθεν μοι σχετλίᾳ προσέπτατο.

Quod promissum eo magis premendum esse iure meritoque inde colligimus, quod etiam a Titane petentem, ut quæ porro sibi manerent sine ambagibus promeret, eam exclamantem facit poeta v. 685 sq.

νόσημα γὰρ
αἴσχιστον εἶναί φημι συνθέτους λόγους.

[1] Adstipulantem habent etiam Eduardum Meyer Forsch. I, p. 70 adn. 3: "Mit grossem Takte ist der Vorgang im Prometheus behandelt, wo Io selbst ihn zu erzählen hat. Zeus' Lockung im Traume erzählt sie, aber den Umgang mit ihm verschweigt sie. Ebenso kann sie nur die Thatsache ihrer Verwandlung und der unerwarteten Erlösung von Argos berichten; wer sie verwandelt und wer Argos getödtet hat, weiss sie nicht. Dass Hera's Zorn die Ursache ihres Unglückes ist (601), darf sie allerdings mit Recht muthmassen."

Quod si Ioni nihilo minus fidem derogare velis, nihil est cur Prometheo diffidamus, qui Ius laboribus iam ex parte enarratis ad Oceani filias se convertit his verbis v. 735 sqq.

ἆρ' ὑμῖν δοκεῖ
ὁ τῶν θεῶν τύραννος ἐς τὰ πάνθ' ὅμως
βίαιος εἶναι; τῇδε γὰρ θνητῇ θεὸς
χρῄζων μιγῆναι τάσδ' ἐπέρριψεν πλάνας.

Quibus dictis Ionem ipsam rursus compellans pergit:

πικροῦ δ' ἔκυρσας, ὦ κόρη, τῶν σῶν γάμων
μνηστῆρος.

Procus igitur Ius est Iuppiter, qui nudo desiderio suo puellam perdidit. Tantum enim abest, ut virgo invitamentis eius in quiete assiduis indulgeat, ut quæ a deo subinde monetur pertinaciter spernat. Quin etiam Inachus pater, cum denique de insomniis eum certiorem fecit filia, reluctari videtur. Numen enim prorsus spernens omnimodo tergiversatur, donec diserto gravique dei dicto admonitus domo patriaque filiam expellere coactus est.

Aeschylum si quis cum artis operibus contulerit, quibus ante omnia amorem Iovis illustrari sumpserunt, iis subesse narrationem intelliget, quæ Ionem virginem quacumque potuit ratione Iovis libidinem facit evitantem. Mihi in animo sunt vascula illa Lucana ad Anxiam reperta, quorum alterum in museo Berolinensi, Londini in "collectione Coghill" alterum exstat. Illud, quod prius in examen vocare lubet,

hydria est rubris figuris ornata, quam delineatam videmus apud Panofkam Argos Panoptes Tab. IV: 2, Overbeckium K. M. Atlas Tab. VII: 8 alibi.

Videmus Ionem facillime inde conspicuam, quod κέρατα τῶν κροτάφων ἐκκρούει μικρὰ καὶ οἷον μέλλοντα [1], sedentem in ipsa basi deæ cuiusdam, quæ antiquissimorum, quæ ξόανα dicuntur, simulacrorum rigorem referens sinistra manu retinet arcum, dextra facem protendit. Ante virginem amantis habitu et gestu astat Iuppiter, qui arcula muliebri iam dono data virgini amorem fateri muliebremque animum in omnes partes versare videtur.

Eatenus picturam recte interpretati amorem Iovis petitionemque Ius virginis hic repræsentari præeunte Gerhardo omnes iam pridem docuerunt interpretes [2]. De reliquis autem in hac re tam clara haud parvus error manet. Nam errare putaverim eos, qui deam illam, cuius ad pedes Io sedet, Iunonem nuncupent. Virginem enim in basi sedentem non sacerdotem esse sed supplicem res loquitur ipsa exemplorumque copia confirmari licet. Quin etiam coram ipsum vasculum intuenti mihi mota est suspicio, anne κλάδος, quem Græci vocant, supplicum insigne, habendum sit, quod dextra presse correptum Io retinet [3].

---

[1] Verba sunt Philostrati, qui Vita Apoll. Tyan. I: 19 ita descripsit simulacrum Ius, quod Nini vidit philosophus ille.

[2] Panofka l. l. p. 107 sqq. Engelmannus l. l. p. 6 sqq. Overbeckius K. M. Zeus p. 467 sq.

[3] Hoc urgere quidem non audeo contra Furtwænglerum scribentem "in der gesenkten R. ein Band, das wohl ein Diadem sein soll." Doctis vero viris disceptandam rem propositam volui.

Quonam vero pacto fieri potuerit, ut Io potissimum ad Iunonem, infestissimam hostem, quæ vulgari in fabula gravi memorique eam semper persequitur odio, confugeret, huius rei satis miræ vix quisquam iustas causas reddiderit. Castam autem virginem, quam vel "mentionem facere stupri sibi a Iove intentati" puderet, ne Iovis satisfaceret cupidini ante omnes Dianæ, virginitatis castitatisque severæ custodis ac vindicis, fidem implorare debere non iam est quod moneam. Atque verissime monere mihi videtur Gerhardus [1], qui primus ipsum argumentum picturæ nostræ recte constituit, simulacrum visu ac specie tantum æstimantibus Dianæ habendum esse. Fax enim et arcus non minus quam ætas atque habitus virginalis insignia huius deæ propria sunt [2].

Quam opinionem ab omni parte impugnans cum Overbeckius [3], cuius in sententiam pedibus ierunt alii [4], pictorem arcum et facem simulacro attribuendo Iunonem Ilithyiam indicare voluisse conatus est evincere,

[1] Berlins Antike Bildwerke p. 260. Conferas Furtwænglerum Beschreib. der Vasensaml. in Berlin Nr 3164: "auf der zweiten Stufe steht l. das Idol einer Göttin (anscheinend der Artemis)."

[2] Me prorsus consentire hac in re video cum Richardo Farnell, The Cults of the Greek States I p. 211. Verba eius hic appono: "Moreover every Greek artist would know that if he drew the figure of a goddess with torch and bow, to whose aid a woman was appealing, every spectator would conclude that the goddess was Artemis; and this is the strongest argument for believing that is was Artemis whom this vase-painter intended to represent."

[3] K. M. Hera p. 19.

[4] Preller-Robert Griech. Myth. p. 172 adn. 1: "Bogen und Fackel in der Hand des Idols erklärt man gewöhnlich als Attribute der Εἰλείθυια."

in errorem credo inductus est doctissimus ille vir, velut ante eum Gerhardus, ea ipsa ratione, quod deam, cuius ad aram Io sederet, nullam aliam nisi Iunonem esse posse certius esse sibi persuasit, quam quod in quæstionem vocaret. Quam sententiam iam satis labefactatam corruisse confido. Atque vasis pictorem, cum supplicem Ionem ad Dianæ simulacrum sedentem effingeret, neque novam edidisse fabulam neque Aeschyleam plus æquo inflexisse, sed libertate tantum, quam sibi vindicant artifices omnes, ductum haud illepida ratione eam ipsam narrationem, qua Io Iovem amatorem fugiens inducitur, expressisse nemo facile negaverit.

Ut de simulacro in errore fuerunt, ita non satis convenit inter vasis interpretes de diptychis, quæ sinistra tenet iuvenis ille, cui Argi nomen imponendum esse post egregiam disputationem Panofkæ in consensu esse videtur [1]. Diptycha re vera esse, id quod diserte testatur Furtwænglerus in catalogo suo, optime probatur collatis picturis illis vascularibus, quæ Iphigeniam epistolam illam Pyladi tradentem representant [2].

Quonam vero modo hæc diptycha explicanda sunt? De ea re varie iudicaverunt docti viri. Quæ priores luserunt missa facere possumus, vixque in mira, quam Engelmannus proposuit, sententia commorari opus

[1] Panofkæ non accedit Conradus Wernicke, qui iuvenem Mercurium esse putat. Cfr infra p. 72 sq.

[2] Expressa sunt exempla Mon. d. Inst. IV Tab. LI; Bullettino Italiano I Tab. VII; Baumeister Denkmäler p. 757; Huddilston Die griechische Tragödie im Lichte der Vasenmalerei Abb. 19 et 21.

est. Arbitratur enim pictorem vasarium imitatum esse poetam nescio quem in Magna Græcia exortum, qui "cum Ionem in scænam mitteret, id instituit, ut Argus non modo verbis Iunonis de custodia Ionis edoceretur, sed etiam tabulas reciperet, in quibus omnia accurate essent perscripta"[1]. Quam coniecturam ut iam per se nimis contortam ideoque parum probabilem aspernatus Overbeckius, cum meliorem ipse proferre non posset, nihil reliqui esse putavit, nisi ut acquiesceret opinione, quam de Argo Iunonis hierophanta divulgavit Panofka, quamquam et eam plurimum in se offensionis habere ingenue profitetur.

Verumenimvero quæ res doctissimis viris tam intricata et difficilis visa est, haud scio an Prometheo fabula adhibita satis facili negotio digeri possit. Reminiscamur enim hoc in dramate narrationem, quam Io ipsa de casibus suis instituit, ita procedere, ut diserto demum edito oraculo minitabundus Iuppiter frangat pertinaciam, qua numen spernere perseverat pater haud minus quam filia. Neque id unum spectat oraculum. Aperit etiam ipsum consilium, quo domo patriaque virginem pelli iubet Iuppiter, nempe ἄφετον ἀλᾶσθαι γῆς ἐπ' ἐσχάτοις ὅροις (v. 666). Ita igitur cum ipso argumento fabulæ cohæret oraculum, ut in eo quasi propriam eius vim positam esse confirmare vix addubitem. Epistolarum autem sub forma deorum responsa tradita esse oraculum adeuntibus satis constat. Quapropter diptycha, quæ manu tenet Argus,

[1] L. l. p. 8. Conferendus est etiam Furtwænglerus l. l.

responsum illud esse oraculi, quo coactus Inachus filiam domo exclusit, pro certo ponendum esse videtur.

Hæc qui consideraverit, cur vasis pictorem Ius fabulam, qualem in Prometheo instituit Aeschylus, illustrandam sibi sumpsisse suspicarer, vix negabit rationes me habuisse satis idoneas. Germanum enim procum et muneribus et precibus, ut amoris laqueis virginem irretiat, operam dantem summum deum effinxit. Neque quonam modo cessurum sit colloquium Iovem inter et virginem, ne obiter quidem picturam aspicientibus in obscuro relictum est. Iamiam virginem Iove repudiato mente captam correptaque figura in Lernam aberrantem quasi oculis cernere nobis videmur. Adest enim Argus, cuius in manu diptycha illa memoriam suscitant verborum Ius v. 673 sqq.

εὐθὺς δὲ μορφὴ καὶ φρένες διάστροφοι
ἦσαν, κεραστὶς δ', ὡς ὁρᾶτ', ὀξυστόμῳ
μύωπι χρισθεῖσ' ἐμμανεῖ σκιρτήματι
ᾗσσον πρὸς εὔποτόν τε Κερχνείας ῥέος
Λέρνης τε κρήνην· βουκόλος δὲ γηγενὴς
ἄκρατος ὀργὴν Ἄργος ὡμάρτει, πυκνοῖς
ὄσσοις δεδορκὼς τοὺς ἐμοὺς κατὰ στίβους.

Iovem, Ionem et Argum, quas principes figuras quasi uno adspectu egregie comprehendit artifex, eadem ipsa ratione dispositas redire videmus in amphora illa Londinensi "collectionis Coghill", quo altero vasculo Lucano Iovem cum Ione confabulantem illustrari præeuntibus aliis supra posuimus. Expressum est vas apud Panofkam Argos Panoptes Tab. IV: 1, Over-

beckium K. M. Atlas Tab. VII: 7, Conradum Wernicke Ant. Denkm. Tab. VII: 12. Cuius pictura quoniam optimum in modum cum hydria Berolinensi congruit, nisi quod compositione quasi in compendium redacta omissa sunt alia, alia variata, utraque imagine eandem scænam repræsentari ex animo suffragor interpretibus. Et hic igitur deæ illi in columna ionica positæ, cuius in ara supplex sedens Io verba audit, quibus Iuppiter amorem eius conciliare sibi studet, quamvis nullis insigniatur attributis[1], Dianæ nomen imponendum esse ex iis, quæ supra disputata sunt, satis elucere putaverim.

Id nequaquam latuit Conradum Wernicke, qui imaginem nostram recentissime ita copiose tractavit l. l. Text p. 73 sq., ut miretur fortasse, qui denuo videt eam in quæstionem vocari. Neque tamen vereor, ne quis nimiæ me incuset audaciæ in ea tractatione acquiescere nolentem. Cui enim non apparet dubitationibus neque paucis neque levibus obnoxiam esse explicationem, cuius summam his verbis circumscripsit: "Es ist also das Ende von Io's Leiden dargestellt, nicht eine neue Version, sondern der Vasenmaler hat sich die Sage für seine Zwecke zurecht gelegt. Er dachte sich, dass Io nach vielem Umherirren endlich zu einem Altar der Artemis kam, vielleicht nicht ohne Einwirkung des Hermes, den man daher auf dem Bilde als Zuschauer erblickt (auf der Berliner Vase ist er

[1] Utrumque bracchium inde a cubito ita reflexum habet simulacrum, ut insignia quæ desideramus temporis demum invidia deleta esse suspicari licet. Hæc est sententia Wernickii.

durch ein Diphtychon als Träger der Aufträge, natürlich des Zeus, gekennzeichnet). Sie fleht Artemis, die Entsühnerin der Frauen, um Schutz an, und nachdem auch Hera (deren Gegenwart auf der Berliner Vase dies noch deutlicher macht) besänftigt ist, schwingt Zeus sein Scepter, um den Zauber aufzuheben. Ein Satyr, erstaunt über das Wunder, läuft davon." Quæ omnia post ea, quæ de ipso argumento utriusque picturæ hucusque disputavimus, non opus est refutare, præsertim cum fundamentum non satis firmum esse videatur, cui explicationem suam superstruxit Wernickius. Ita enim loquitur: "Eine Liebesscene des Zeus mit der Priesterin der Hera, wie sie Overbeck u. A. erkennen, ist völlig ausgeschlossen; dazu würden weder die Hörner der Io noch ihr Sitzen auf dem Altare noch die Geberde des Zeus noch der Zuschauer passen, auch träufelt Eros sein Öl nicht auf Io, sondern auf das Cultbild."

Hæc argumenta, magnopere vereor, ne sint leviora. Quid enim petens ad aram Dianæ confugerit virgo, iam supra satis certa ratione mihi docuisse videor. Cornua vero parva, quæ in fronte virginis conspiciuntur, hoc loco transformationem iam peractam haudquaquam significant, immo eo additamento effectum est, ut, quo evasurum esset interloquium cum Iove consertum, quasi per ambages spectantibus indicaretur. Quin etiam altera, quæ multorum assensum tulit, patet explicandi via. Nam cornua Ioni addita esse non tamquam metamorphosis notam sed velut insigne Inachidis proprium, ne forte spectantium oculi dubii hærerent, quæ femina

esset, opinio est Engelmanni, cui satis auctoritatis adiunxit collato Actæone, qui cornutus in vasculis cernitur iam ante, quam a canibus suis dilaniatur[1]. Alteram alteri, pro se quisque, prout volet, præferat; mihi quidem illa magis arridet ratione præsertim habita hydriæ Berolinensis, ubi præter cornua fronti Ionis imposita vasis pictorem et diptychis illis Argo attributis et Iunone scænæ adiuncta eundem actionis progressum quasi per ambages expressisse videmus.

Quod si rationes igitur satis iustæ reddi possunt, quam ob causam cornibus virginem distinxerit artifex, gravissimo quo nititur Wernicke argumento fides dempta est. Nam habitum speciemque Iovis non adeo rogantis blandientisque atque in vasculo Berolinensi esse tametsi concedamus necesse est, at tamen summum deum dextra sceptrum aquila coronatum gerentem, sinistra latus fulcientem cum virgine colloquium quoddam instituisse species loquitur ipsa, quæ semper plurimum valet. Quare vereor, ne iusto longius a vulgatæ fabulæ auctoritate recedens ipse a recta interpretandi ratione aberraverit Wernicke.

Et hæc quidem de figuris, quæ insignes in utraque pictura partes agunt. Finem iam faciamus in rebus secundariis explanandis, quæ, quamquam ita comparatæ sunt, ut ex iis satis tuto argumentum peti vix possit, tamen favere videntur opinioni, quam definito Aeschyli testimonio nitentes de diptychis prompsimus.

[1] Assentientes habet Engelmannus et Overbeckium et Ioannem Bolte, qui paullo uberius his de rebus disputavit epimetro primo dissertationis suæ, quam inscripsit "De monumentis ad Odysseam pertinentibus". Berolini 1882.

Etenim artificem tripode illo, qui pone Venerem humi est, de oraculo illo admonere voluisse spectantes, id quod iam Overbeckius posuit, haud absurdum est coniicere. Et ad hydriam illam explicandam, quæ Argi a tergo comparet, et sortes et epistolas in hydrias coniectas asservari solitas esse digito indicare satis est. Quin etiam capream illam, ut id hic occasione data subiungam, eo consilio additam esse scænæ, ut rem in fano Dianæ peractam esse significaret, suspicio est non omnino specie carens. Verum hæc omnia admodum lubrica sunt ad diiudicandum. Utrum enim ad ipsum argumentum pertineant, an mera opera subseciva, quæ ad vacuum inter figuras relictum spatium explendum luserit artifex, hæ res habendæ sint, ambigi certe potest. Idem cadit in satyrum, qui Berolinensi in hydria dextra tenens syringa supra Venerem sedet, oculos manu tegens in amphora Londinensi scænam relinquere videtur[1].

Ne autem, ut iam unde deflexit oratio redeamus, nuptias, quæ inter editum oraculum transformationemque corporis factæ sint, Ionem silentio pressisse nihilo minus opineris, vetat aliud disertissimum Promethei testimonium, qui, suæ de Ius fatis narrationi fidem ut strueret, nonnulla, quæ ei iam acciderant, referens inter alia et hæc narrat v. 829 sqq.

[1] Quam protulit Wernicke de Amore sententiam, ea non magis stare potest quam tota interpretatio eius. Num vero lapsu pictoris effectum esse, ut in simulacrum, non in virginem oleum effunderet deus alatus, meliore iure sumpserint Engelmannus ceterique, qui in eadem sententia sunt, in medio relinquendum videtur.

ἐπεὶ γὰρ ἦλθες πρὸς Μολοσσὰ γῆς πέδα,
τὴν αἰπύνωτόν τ' ἀμφὶ Δωδώνην, ἵνα
μαντεῖα θᾶκός τ' ἐστὶ Θεσπρωτοῦ Διός,
τέρας τ' ἄπιστον, αἱ προσήγοροι δρύες,
ὑφ' ὧν σὺ λαμπρῶς κοὐδὲν αἰνικτηρίως
προσηγορεύθης ἡ Διὸς κλεινὴ δάμαρ
μέλλουσ' ἔσεσθαι· τῶνδε προσσαίνει σέ τι;

Num ampliore opus est testimonio? Cum enim etiam mediis in erroribus uxorem Iovis futuram Ionem positis ambagibus suis consalutet Dodonæum oraculum, quæ res est, quæ cuiusquam animum in hac causa dubium facere possit? Quod enim Aeschyli editores verba ipsa μέλλουσ' ἔσεσθαι nimis cupide in suspicionem adduxerunt vel totum versum damnarunt[1], ne minimum quidem iudicium meum conturbat. Nam qui quasi fundamentum totius quæstionis posuere Iovem iam ante transformationem rem cum virgine habuisse, iis hæc verba necessario spuria habenda sunt. Ipsi autem videant, ne sua potius poetæ obtrudere quam quæ scripta exstant explicare maluerint.

Iam hæc mecum reputes velim. Cum mala, quibus Io conflictatur, Supplicum in fabula ea ratione in scæna tractata sunt, ut deinceps gradatim propter nefas commissum in eam immittantur a Iunone, cuius iram ut pælex Iovis sibi contraxerat virgo, in Prometheo simul quasi uno eodemque ictu tria eam percellunt

[1] Totum versum damnant Dindorf aliique; verba μ. ἐ. ut ab interprete adscripta excludere voluerunt Hartung Heimsoeth Weil. Weckleinius nunc quidem verba illa tolerari posse arbitratur neque tamen quo sensu ea accepta velit indicavit.

fulmina, ut statim post editum illud oraculum, cum domo propulsa in Lernam aberraret, et mente alienata et dedecorata figura diro ab asilo agitaretur vel agitari sibi videretur. Quare etiam femina misera malorumque mole obruta immeritam se pati suo iure testatur semperque tamquam nulla ipsius culpa calamitatem divino arbitrio missam ferens loquitur. In monodia, quæ tertii epeisodii initio inest, hæc secum queritur inde a versu 578:

τί ποτέ μ', ὦ Κρόνιε παῖ, τί ποτε ταῖσδ'
ἐνέζευξας εὑρὼν ἁμαρτοῦσαν ἐν
πημοσύναις, ἐή,
οἰστρηλάτῳ δὲ δείματι δειλαίαν
παράκοπον ὧδε τείρεις;

Et v. 600 sqq. hæc dicit:

σκιρτημάτων δὲ νήστισιν αἰκίαις
λαβρόσυθος ἦλθον[1]
ἐπικότοισι μήδεσι δαμεῖσα.

Nullius igitur sibi ipsa conscia culpæ, quare iram Iunonis experiretur, omnem calamitatem suam, quam θεόσυτον νόσον (v. 596) vel χειμῶνα (v. 643) appellat, ad Iovis voluntatem revocat. Neque enim usquam occurrit locus, unde iure obtineamus de Iunonis odio quidquam ei in notitiam venisse. Quin immo Prometheo interroganti v. 758

[1] Ἥρας post hæc verba non satis considerate inseruisse Hermannum probat ipsa explicatio scholiastæ "τοῖς τῆς Ἥρας". θείοις vel δίοις legendum esse credo.

ἦδοι' ἄν. οἶμαι. τήνδ' ἰδοῦσα συμφοράν;

(scilicet ἐκπεσεῖν ἀρχῆς Δία) respondet

πῶς δ' οὐκ ἄν, ἥτις ἐκ Διὸς πάσχω κακῶς;

Confirmat denique vel ex supervacuo chorus Iovi ipsi auctori ascribenda esse mala Ioni immissa indeque profecta, quod Iovis complexus fugerat virgo. ταρβῶ γὰρ ἀστεργάνορα παρθενίαν εἰσορῶσ' Ἰοῦς i. e. paveo enim, cum Ius virginitatem amore abhorrentem video. verba eius sunt in eo carmine, quod est a versu 887 usque ad versum 906, quo toto carmine filiæ Oceani, postquam Io repentino insaniæ incursu oppressa spectatorum oculis se subtraxit, æqualitatem coniugii in universum prædicantes, ne quis cælestium ipsas in matrimonium poscat, misera Ius fortuna perculsæ atque abiectæ Parcas invocant.

Vides quam a Supplicum fabula diversam Aeschylus in divinis personis inducendis secutus sit rationem. Idque certo de consilio fecisse existimandus est. Cum enim ut impotentiam crudelitatemque τοῦ νέου ταγοῦ μακάρων demonstraret[1], Ius personam Promethei fabulæ insereret, huius fabulæ argumentum tantum non poscere et flagitare eum haudquaquam effugit, ut Io sine ulla ipsius culpa Iovis iram experta in scænam induceretur, quare rem ita instituit, ut Iuppiter ipse arbitrio suo virginem plane innoxiam et insania affi-

[1] Confer Wilamowitz-Moellendorff Griechische Tragoedien B. II p. 42. S. L. Tuxen, Karaktertegning i den græske Tragedie. København 1900. p. 83, hanc quidem sententiam ut vulgarem ita ineptam esse affirmavit. Neque tamen in ea, quæ disputavit, me in universum satis insinuare potui.

ceret et dedecorata figura in errores coniiceret. Neque tamen tanta audacia progredi ausus est poeta, ut prorsus nullam Iunonis utpote insaniæ errorumque Ius fabulis celebratæ auctricis rationem haberet. Immo more suo quæ antiquitus tradebantur tantum dedit, ut interdum sibi ipse parum constare nobis videatur. Inde enim explicandum esse putamus, quod Prometheus, quem iterum atque iterum a spretis Iovis desideriis mala Ius repetentem supra vidimus, quasi a Iunonis proficiscantur ira atque odio, loquitur v. 703 sq.

τὰ λοιπὰ νῦν ἀκούσαθ', οἷα χρὴ πάθη
τλῆναι πρὸς Ἥρας τήνδε τὴν νεάνιδα.

Idemque errores ad Iunonis inimicitiam revocat v. 591 sq.

καὶ νῦν τοὺς ὑπερμήκεις δρόμους
Ἥρᾳ στυγητὸς πρὸς βίαν γυμνάζεται.

Atque luculentissimum eius rei exemplum eodem illo in chori carmine invenitur, de quo iam disputavimus. Ibi enim utrumque deum, Iovem atque Iunonem, quasi iuxta inimicum virgini æstimantes Oceanidæ verbis supra allatis ἀστεργάνορα παρθενίαν εἰσορῶσ' Ἰοῦς continuant ἀμαλαπτομέναν δυσπλάνοις Ἥρας ἀλατείαις πόνων, mirum in modum consociantes quæ nequaquam inter se coniungi possunt. Sed hæc omnia veteris fabulæ formæ vestigia habenda sunt, quam utpote antiquitus traditam atque in omnium versantem fama atque notitia Aeschylus omnino missam facere nec potuit nec voluit.

Cui sententiæ, ni egregie fallor, aliunde etiam plurimum firmamenti adstrui potest. Narrationis enim

forma in hunc modum deflexa, ut spretis Iovis desideriis intacta propelleretur virgo atque Iovis ipsius arbitratu mente destituta cornibusque dedecorata usque ad Aegyptum errabunda perveniret, Argum monstrum, quod ad vaccam a Iove, ne cum ea congrederetur, custodiendam apposuerat Iuno, ab ipso argumento fabulæ abhorrere, quivis mehercules primo statim obtutu perspicit. Neque tamen Argum valere iussit poeta, sed pro artis suæ ratione Iunonium custodem, qui vulgari in fabula tantum non primarium locum obtinet, verecundius retinuit atque suum in consilium ita convertit, ut imaginem Argi interfecti virginem usque agitantem mentemque eius insania perturbantem induceret. Nam Io ipsa in scænam prodiens insania se corripi his verbis clamat v. 566 sqq.

χρίει τις αὖ με τὰν τάλαιναν οἶστρος
εἴδωλον Ἄργου γηγενοῦς,
ἄλευ' ἆ δᾶ,
τὸν μυριωπὸν εἰσορῶσα βούταν.
ὁ δὲ πορεύεται δόλιον ὄμμ' ἔχων,
ὃν οὐδὲ κατθανόντα γαῖα κεύθει.
ἀλλ' ἐμὲ τὰν τάλαιναν κἀξ ἐνέρων περῶν
κυναγετεῖ πλανᾷ τε νῆστιν ἀνὰ τὰν
παραλίαν ψάμμαν.

Sed hoc fortasse poetæ nihilo minus condonares, dummodo ne in narratione, quam ipsa, postquam ex furore se collegit, mentis compos de infortuniis suis instituit, Ionem corporis mentisque suæ statum ita faceret describentem v. 673 sqq.

εὐθὺς δὲ μορφὴ καὶ φρένες διάστροφοι
ἦσαν, κεραστὶς δ', ὡς ὁρᾶτ', ὀξυστόμῳ
μύωπι χρισθεῖσ' ἐμμανεῖ σκιρτήματι
ᾖσσον πρὸς εὔποτόν τε Κερχνείας ῥέος
Λέρνης τε κρήνην·

Quæ igitur paulo ante ad vanam Argi interfecti imaginem, quæ nisi in imaginatione mulieris mente alienatæ esse non potuit[1], insaniæ originem rettulit, hic de ipso insecto asilo loquitur, quem dirum miseræ virginis agitatorem ex Supplicibus agnovimus. Quem cum iam vivo Argo se ita vexare, ut furore correpta proruerct, sana mente ipsa exhibeat, dramatis actionem certe Argum non flagitare hinc exstare et eminere arbitror, quæ altera satis iusta mihi visa est causa, cur Aeschylum verecundia tantum antiquæ fabulæ hanc personam inseruisse statuerem. Et re vera totus ille de Argo custode virginem vestigiis sequente locus, qui pertinet a versu 677 ad versum 681, ita comparatus et prorsus nullo artiore vinculo narrationi annexus est, ut si abesset atque continuo post Λέρνης τε κρήνην consequeretur οἰστροπλὴξ δ' ἐγώ, meo quidem iudicio nihil esset, quod vel levis offensionis præberet ansam.

Atque de initio malorum hactenus! Pauca nunc de ea Ius fabulæ parte, quæ in Aegypto agit, disseremus. In Aegypto enim Ioni, cum longinquos post

[1] Hanc rem longius persecutus est Hermannus Harries in egregia dissertatione, quæ inscribitur "Tragici Græci qua arte usi sint in describenda insania". Kiliæ 1891.

errores omnes exantlasset labores, salutem honoremque fato propositum esse etiam Prometheus sub exitum narrationis suæ vaticinatur v. 813 sqq.

οὗτος — sc. ὁ Νεῖλος ποταμός — σ' ὁδώσει τὴν τρί-
γωνον ἐς χθόνα
Νειλῶτιν, οὗ δὴ τὴν μακρὰν ἀποικίαν,
Ἰοῖ, πέπρωται σοί τε καὶ τέκνοις κτίσαι.

Quibus verbis quo maior fides esset, v. 846 sqq. urbs Canopus diserte commemoratur locus, ubi Ioni finis laborum esset futurus. Magna hæc, sed ad maiora properat oratio. Quid enim optatius nobis accidere potuit, quam hoc loco non solum ubi, sed etiam versibus, qui sequuntur, quo modo exitus malorum liberatioque virginis efficeretur, claris et distinctis verbis depingi, quæ iam supra p. 63 exscripsimus,

ἐνταῦθα δή σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα
ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ καὶ θιγὼν μόνον.

Vides ne mentionem quidem fieri faciei humanæ recuperandæ, etsi duplicem vim sibi et corpore deformatæ et affectæ insania illatam esse Ionem ipsam supra querentem audivimus. Nec mirum. Nam in Aegyptum Ionem esse perventuram, ut Isis dea ibi coleretur, fato esse constitum Aeschylum docuisse constat. Isidis autem imaginem iam Herodotus hunc in modum descripsit II: 41: τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήιον βούκερών ἐστι, κατάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι[1].

[1] Suidas s. v. Ἶσις· αὕτη λέγεται Ἰώ, ἣν ἥρπασεν ὁ Ζεὺς ἐξ Ἄργους, καὶ τὴν Ἥραν φοβούμενος μετέβαλεν αὐτήν ποτὲ μὲν εἰς λευκὴν βοῦν, ποτὲ δὲ εἰς μέλαιναν, ποτὲ δὲ ἰάζουσαν· μεθ' ἧς πλανώμενος ἦλθεν εἰς Αἴγυπτον. τιμῶσιν οὖν Αἰγύπτιοι τὴν Ἶσιν. διὸ ἐπὶ κεφαλῆς τοῦ ἀγάλματος αὐτῆς κέρατα βοὸς γλύφουσι, δηλοῦντες τὴν ἐπὶ βοῦν τῆς κόρης μεταβολήν.

Atqui nostra in fabula virgo cornua gerens in scænam introducitur Io, quippe quæ παρθένον βούκερων (v. 588) et κεράστιν (v. 675) se ipsa nominet. Quæ si nobiscum reputamus, nullam sane habet admirationem, quod de soluta tantum insania verba facit Prometheus. Quæ cum ita sint neque ulla indagari possit causa, cur hac in re duplici ratione usum esse poetam credamus, ex ipsa cum Prometheo fabula instituta comparatione satis certum mihi videtur, valere quæ de Supplicum fabula in eandem sententiam supra p. 53 sqq. disputavimus.

Quod vero in Supplicibus Io in Aegyptum adveniens, cuius specie terrebantur incolæ, μιξόμβροτον δυσχερὲς βοτόν, ἡ μὲν βοός, ἡ δ' αὖ γυναικὸς depingitur, ut feminam bovino capite præditam, qua sub forma Isis haud raro effingitur, nos eam nobis animo fingere debere vero proximum sit[1], in Prometheo autem fabula propius ad humanam formam accessit, ut cornibus tantum virginis capiti additis transfiguratio indicetur, hæc mutatio inde haud dubie progressa est, quod in Prometheo Io ipsa in scænam prodiit. Certe hæc Ius fingendæ ratio Aeschyli post tempora in artis operibus una dominatur, cum in antiquioribus vaccam eam expressam esse viderimus.

Aliam disputandi materiam hæc res Weckleinio[2]

[1] Eduardus Meyer Forschungen I p. 78 adn. 2.

[2] In ed. Zograph. II pp. 20 et 341.

dedit. Hic enim tamquam pro certo venditare ausus quod Engelmannus in lexico mythologico Roscheri s. v. p. 271 sq. coniectavit, hinc sibi testimonium, quo Promethei fabulam priorem quam Supplices doctam esse efficiatur, lucrari visus est. Quoniam enim Supplicum in fabula Io ipsa in scænam non prodiret, cur aliam speciem sub exitum fabulæ atque initio poeta ei tribueret, explicari non posse, "ἐὰν μὴ ὁ ποιητὴς ὡρμᾶτο εἰς τοῦτο ἐκ τοῦ Προμηθέως, ἐν ᾧ μὴ χρήζων τῆς βοὸς ἀντικατέστησεν αὐτὴν διὰ κερασφόρου παρθένου"[1]. Qua in re errare doctissimum virum vel inde consequitur, quod μιξόμβροτον βοτόν et βούκερω παρθένον non prorsus unum idemque esse iam vidimus[2]. Accedit, quod, cetera ut mittam, quibus antiquiorem memoriam sibi vindicare Supplicum fabulam omnes consentiunt, tota Ius fabula in Prometheo ita est conformata, ut sua sponte recentiorem se prodat, id quod ex iis, quæ hactenus disputata sunt, clarissime elucere spero.

Quibus in transcursu expeditis revertor ad ipsam fabulam percensendam. In pristinam igitur mentis sanitatem Iuppiter in Aegypto Ionem restituit, et hoc quidem

ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ καὶ θιγὼν μόνον (v. 849)[3].

---

[1] L. l. p. 341.

[2] Quare in Ius figura describenda sibi non satis constiterit Supplicum fabulæ auctor, supra p. 59 sq. rationem satis probabilem attulisse mihi videor.

[3] Quæ hoc de versu disputata sunt sicco, quod aiunt, pede transsilui. Sanissimus enim videtur locus, quamvis eum sanare certaverint docti viri.

Atque eadem ipsa placidæ manus contrectatione, qua sana mens redditur Ioni, etiam procreatur Epaphus filius. Quod enim breviter et subobscure dixit poeta noster, Nonnus, qui Aeschyleæ narrationi in universum se applicuit, enarratius scripsit hunc in modum III: 284 sqq.

ἔνθ' Ἔπαφον Διὶ τίκτεν, ἀκηρασίων ὅτι κόλπων
Ἰναχίης δαμάλης ἐπαφήσατο θεῖος ἀκοίτης
χερσὶν ἐρωμανέεσσι· θεηγενέος δὲ τοκῆος
ἐξ Ἐπάφου Λιβύη κτλ.

Nisi enim ut Nonnus de gignentis contagione cogitasset Aeschylus, Epaphum ἐπώνυμον τῶν Διὸς γεννημάτων appellare non potuisset. Utrum autem hic connubium verecunde innuerit poeta, an contactu solo gravidam factam esse virginem dixerit, mihi quidem in incerto relictum sit.

Quoniam de Aeschyleis fabulis diximus et summum tragicum, ut atrocem crudelemque vim Iovis ante oculos proponeret, in Prometheo quæ de Ione tradebantur suo Marte mutasse vidimus, restat, ut, quænam inter Supplices heroicamque memoriam intercedat ratio, enucleemus. Atque Hesiodi Aeschylique narrationes ita diversas esse vidimus, ut hanc ad illam redire non posse facile intelligatur. Nam Aeschylum auctorem Ius mutatæ variasse atque periurium illud Iovis omisisse, cum id "divinam dignitatem, qualem animo impressam Aeschylus venerebatur, perverteret", Maassio[1] vix quisquam condonabit, qui Aeschyleam

---

[1] L. l. p. XXIX.

narrationem multis rebus antiquiorem præ se ferre speciem sibi nobiscum persuaserit. Eisdem fere causis ne ex Aegimio eum hausisse putemus prohibemur, quare ad Danaidem carmen epicum Aeschylum Ius fabulam narrasse et expressisse iam Welckerus sumpsit, quod tantum non omnibus doctis viris, qui post eum hac de re egerunt, persuasit. Quæ coniectura etsi habet omnes in se numeros probabilitatis, tamen subsidia, quibus vera efficiatur, neque adhibita sunt neque omnino adhiberi possunt. Quo modo enim hoc in carmine Ius fabula tractata fuerit, notitiæ nostræ se plane subtrahit, quamvis sagacitate sane quam admirabili totum carmen recuperare conati sint, quales res sibi cogitaverint, non quales fuerint, exhibentes.

Hesiodo autem auctore recentiores, utique Romanorum poetæ, ad unum fere omnes fabulam nostram exornavisse videntur. Prorsus vero novam atque aliunde vix cognitam fabulæ formam nobis ante oculos proponit pulcherrimus ille crater Atticus, qui expressus est Wiener Vorlegebl. 1890/91 Tab. XII: 2, Roscher Myth. Lex. s. v. Io p. 274. Ibi enim cum Argum colloquio intento cum Venere et Suadela, ad quas pone Argum Paregoros se applicat, occupatum custodis officium ita plane deserere videamus, ut temporis opportunitate usus Mercurius gladio stricto se in eum concitet, custodem ipsum amoris laqueis irretiri haud immerito colligimus. Quæ eadem fabulæ forma redire videtur in picturis illis parietariis, in quibus Argus iuvenis imberbis et formosus virgini custodiendæ

ita oculis adhærens depingitur, ut picturæ aptissimum in modum suscribi posse videantur verba illa Propertii I: 3: 9

> sed sic intentis hærebam fixus ocellis
> Argus ut ignotis cornibus Inachidos.

Epimetrum.

De Argi variis formis.

Non minus quam Io Argi custodis figura varias per sæcula passa est mutationes. Cum enim antiquissimo in vasculo, amphora illa Monacensi nigris figuris ornata, veram monstri speciem præbeat, in vasis nonnullis rubris figuris artis liberioris distinctis atque in picturis parietum omnibus iuvenis formosus repræsentatur. Atque mediæ inter utramque formam diversæ eum fingendi rationes interiectæ sunt, quarum una primum nobis occurrit in amphora illa Attica nigro colore depicta, quam supra p. 31 Nr. II breviter descripsimus. Ibi enim bifrons cernitur Argus, ut melius illustrari vix possint verba illa Aegimii τέτρασιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενον ἔνθα καὶ ἔνθα. Altera vero sub forma apparet in vasculo illo Cæretano rubris figuris artis severioris delineato, de quo supra p. 39 sqq. fuse disputavimus, ubi βουκόλον Ἄργον ὄμμασιν ἀστράπτοντα ποδῶν ἄπο μέχρι κομάων (Nonnus 13: 26) invenimus, quæ formatio sæpissime apud auctores commemoratur atque etiam in amphora illa Volcis reperta redit, quam Overbeckius delineandam curavit K. M. Atlas Tab. VII: 12. Quæ formæ deinde ita inter se confunduntur, ut Argum non solum duplici facie præditum sed etiam ob-

situm oculis depingant, qualem eum exhibet vasculum illud Tarentinum, quod exstat apud Overbeckium l. l. Atlas Tab. VII: 13. Cuius vasis pictor tamen custodem etiam pelle ornavit, quæ ab humero dependens sinistram corporis partem tegit. Quæ pellis quoniam ita est maculis conspersa, ut, quin pellem pantheræ distinxerit artifex, dubitationi nullus omnino relictus esse locus videatur, quare pantherinam potissimum pellem Argo induerit, causam non video, nisi eum hac in re secutum esse auctorem nescio quem credamus, qui quod vulgo narrabatur, Argum, quem Iuno custodem assiduum Ioni apponeret, omnibus membris oculatum fuisse, reiiciens custodem pellem maculis interstinctum gessisse docebat[1]. Atque habemus etiam artis monumentum, craterem dico rubris figuris ornatum, de quo egit Overbeckius K. M. Zeus p. 472, Atlas Tab. VII: 17, in quo Argus depictus est nudus iuvenis calceatus neque ulla alia re custos semper vigil insignitur[2] nisi pelle eodem illo genere ac specie, quam quasi ostentans a sinistro bracchio sublato dependentem gerit. Deprehendimus igitur, si quid video, hic eandem fabulas interpretandi rationem ac viam atque usus est Stesichorus, quem constat de Actæone narrasse Dianam eum nullo pacto in cervum mutasse, sed pelle cervi amictum canibus dilaniendum obtulisse[3].

Hanc vero Argum, custodem πυκνοῖς ὄσσοις δε-

[1] Huic sententiæ nihil, ne si probari quidem posset Argum in aliis monumentis pellem tauri gerere, auctoritatis detrahi prudentes non est quod moneam.

[2] Concham, quam dextra tenet, hac in re nihil valere patet.

[3] De hac re fuse disputavit Carolus Robert Bild und Lied p. 26 sq.

δορκότα, fingendi rationem cum altera ita copularunt, ut et corpus eius oculis compunxerint et pelle pantheræ induerint, cuius rei insigne offert exemplum pulcherrimus ille crater Atticus, qui in collectione Iatta servatur (cfr supra p. 61). Atque, si rem satis recte dispexi, tres varias, de quibus iam egimus, Argi formas in unum contaminavit artifex vasculi illius Tarentini, utpote qui Argum bifrontem et omnibus membris oculatum pelle pantherina amictum effinxerit.